Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Studia praesertim critica et epicritica in Sophoclis Oedipum Regem

https://hdl.handle.net/1874/217764

A 70 192 Litt. Nov. 18 1898
1898

P. GROENEBOOM.

STUDIA

PRAESERTIM CRITICA ET EPICRITICA

IN SOPHOCLIS OEDIPUM REGEM.

TRAIECTI AD RHENUM
APUD C. H. E. BREIJER.
MDCCCXCVIII.

A. qu.
192

PARENTIBUS SPONSAEQUE.



STUDIA

PRAESERTIM CRITICA ET EPICRITICA IN SOPHOCLIS OEDIPUM REGEM.

SPECIMEN INAUGURALE LITTERARUM

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IANI DE LOUTER

Rom. et Hodierni Iur. Doct. In Fac. Iur. Prof.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

NOBLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS

ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI PROPONET

PETRUS GROENEBOOM

AMERSFURTIENSIS.

D. XVIII M. Novembris A. MDCCCXCVIII Hora III P. M.

TRAIECTI AD RHENUM

APUD C. H. E. BREIJER.

MDCCCXCVIII.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Gedrukt ter Zuid-Hollandsche Boek- en Handelsdrukkerij.

CAPUT I.

De Oedipi ingenio.

ἀλλ' ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινά·
οὔτ' ἄν νιν ὄλβος οὔτ' Ἄρης,
οὐ πύργος οὐχ ἁλίκτυποι
κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν.

Ant. 951—954.

Qui diligentius exsecuti sunt ingenium moresque Oedipi Sophoclei, ex iis multi sunt, qui illi obiciant τὸ μεῖζον ἢ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖν [1]): iniuria. Nam horum sententiae cum tota fabula in universum repugnat, tum vel unus huius dramatis locus luculenter mentem ostendit poetae, qui regem miserrimum deorum reverentissimum facit. Inspiciamus vss. 969 sqq. Postquam nuntius Iocastam de Polybi morte certiorem fecit, illa exsultat, omni timore omnique cura liberatam se esse rata.

Oedipus vero, quamquam punctum temporis gaudio

[1]) e. g. B. H. Kennedy Journal of Philology 1872 pg. 188.

effertur et cum contumacia de oraculis avibusque futura canentibus loquitur, statim tamen addit:

— εἴ τι μὴ τῷμῷ πόθῳ
κατέφθιθ'· οὕτω δ'ἂν θανὼν εἴη ἐξ ἐμοῦ. [1])

Quae verba non sunt viri fastidiosi, deos vatesque contemnentis, sed sollicitum et praeoccupatum produnt animum: per totam hanc fabulam Oedipus mala futura praesagire mihi videtur.

Quomodo vero superbus deorum contemptor dici potest rex ille infelicissimus, qui imbecillitatis humanae sibi conscius, pia loquitur verba:

ἀλλ' ἀναγκάσαι θεοὺς
ἂν μὴ θέλωσιν οὐδ' ἂν εἷς δύναιτ' ἀνήρ. [2])

Si cum Oedipo comparamus Aiacem, patet eos errare, qui illi impietatem exprobrent. Aiax superbe Minervae

---

[1]) «So sehr sträubt sich sein frommer Sinn, an der Wahrheit der Göttersprüche zu zweifeln, dasz er, um sie in Ehren zu halten, zu Spitzfindigkeiten seine Zuflucht nimmt». Nauck, pg. 14.

«Wie wenig tief das (oraculorum contemptus) geht, zeigt sich in seiner Furcht vor Merope: eigentlich glaubt er eben doch».
Bruhn, ad O. R. 964.

[2]) De sententia cf. O. C. 252 sqq.:

οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτὸν ὅστις ἄν,
εἰ θεὸς ἄγοι,
ἐκφυγεῖν δύναιτο. De imbecillitate humana vid. Ai. 125 ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν | εἴδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν. Cf. praeterea O. R. 1186 sqq., Ai. 383, 455, frg. 656, 682, Limburg Brouwer pg. 30, 35.

opem repellit (Schol. Ai. 127), contemnit deos (Ai. 590, 762—778), ingentem superbiam eiusdem spirant verba vss. 424, 551. [1])

Oedipus contra ubique magna cum reverentia de deis loquitur. [2]) Salaminius heros verba patris, qui eum adhortatur, ut deis oboediat, negligit, noster contra eum vocat malum, qui deorum iussis parere dubitet (vss. 76—77):

τηνικαῦτ' ἐγὼ κακὸς
μὴ δρῶν ἂν εἴην πάνθ' ὅσ' ἂν δηλοῖ θεός.

Etiam vs. 859, ubi Oedipus, postquam Iocasta magna cum levitate exclamavit:

ὥστ' οὐχὶ μαντείας γ' ἂν οὔτε τῆδ' ἐγὼ
βλέψαιμ' ἂν οὔνεκ' οὔτε τῆδ' ἂν ὕστερον.

respondet: καλῶς νομίζεις· κτἑ specie concedit, re vera autem uxoris impiam exclamationem probare non potest. Vide Dindorfii et Herwerdeni ad hunc locum adnotationes. —

Errat Hermannus, qui ad vs. 873: ὕβρις φυτεύει

---

[1]) De hac re vid. v. Leeuwen «Comment. de Aiac. Soph. Authentia et Integritate» pg. 77 sqq.

[2]) «we find him — neither arrogant nor irreverent». «plainly, it would be a misreading to construe the fate of Oedipus as a dramatic nemesis of impiety» Jebb pg. 27—28.

«ein reiner, frommer Mensch». Bruhn, pg. 41.

Idem iudicat Bilderdijk; errat tamen vir celeberrimus, cum dicit etiam Iocastae verba pietatem prodere.

τύραννον adnotat: „Versatur totum chori carmen in improbanda insolentia, qua Oedipus et in Creontem saeviit et oraculi sprevit sanctitatem. [1]) Apertum enim est chorum Iocastae improbare levitatem et impietatem, ut bene exposuerunt Schmelzer et Bellermann ad vss. 863, 906. cf. Schol. ad vs. 873: ταῦτα μέν φησι περὶ τῆς Ἰοκάστης κτἑ, ad vs. 898: ἄθικτον — οὗ οὐκ ἀπέσχετο Ἰοκάστη, ad vs. 906: τὰ — θεσπισθέντα ἐκφαυλίζεται ὑπὸ Ἰοκάστης. [2])

Tum autem, postquam in fine fabulae omnia mala sunt patefacta, Oedipus diras imprecationes in deos cohibet, στέργει τὰ κακά, quamvis fractis paene viribus. Longe aliter apud Voltaire Iocasta moritur: impiis verbis accusat deos:

et songez à jamais
Qu' au milieu des horreurs du destin, qui m'opprime
J'ai fait rougir les dieux, qui m'ont forcée au crime. — [3])

---

[1]) Similiter erravit Limburg Brouwer pg. 43.

[2]) Bothe ad vers. 856: ὕβρις. Non quadrat in Oedipi ingenium, qui minime omnium ὑβριστικός. Vide fabulae initium.

[3]) Saepius Voltaire, ut alii imitatores (Dryden, Corneille), Sophoclem corrigere (!) conatus est. Oedipus nescit, quomodo mortuus sit Laius: quae res, quamvis per se parum probabilis, antiquos Athenienses offendere non poterat, cf. Aristot. 1454 b, 6: ἄλογον δὲ μηδὲν εἶναι ἐν τοῖς πράγμασιν, εἰ δὲ μή, ἐξω τῆς τραγῳδίας, οἷον τὸ ἐν τῷ Οἰδίποδι τῷ Σοφοκλέους, ibid. 1460 a, 28: ἀλλὰ μάλιστα μὲν μηδὲν ἔχειν ἄλογον, εἰ δὲ μή, ἔξω τοῦ μυθεύματος, ὥσπερ Οἰδίπους τὸ μὴ εἰδέναι πῶς ὁ Λάιος ἀπέθανεν κτἑ. Tali explicatione parum contentus erat Voltaire, apud

Oedipus autem regnat Thebis θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς (Odys. XI—276.) [1]) Non sua culpa, deorum voluntate in malum praecipitatur, ut Antigona (O. C. 394) dicit: νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι, πρόσθε δ' ὤλλυσαν, qui versus, ut iam recte observatum est a Nauckio, totius fabulae clavis esse videtur.

Dira fati necessitate Oedipum in magnas conici miserias bene exposuit Dindorfius, quocum non tamen facio addenti „non sine aliqua, etsi excusabili, sua ipsius culpa."

In omnibus de Oedipi sorte narrationibus, de quibus copiose disseruit F. G. Schneidewinus (Acta societ. discipl.

---

quem, ut perspiciamus, qui factum sit ut Oedipus nondum melius de Laii edoctus esset occisione, rex Iocastam his adloquitur verbis:

Madame, jusqu'ici, respectant vos douleurs,
Je n'ai point rappelé le sujet de vos pleurs;
Et de vos seuls périls chaque jour alarmée
Mon âme à d'autres soins semblait être fermée.

Apud Dryden Oedipus, quae de Laio audiverat, oblitus est!

a confused report
Pass'd through my ears, when first I took the crown;
But full of hurry, like a morning dream,
It vanish'd in the business of the day.

Quotiescumque tales correctiones(?) lego, in mentem mihi veniunt verba illa notissima Pindari: ἄκραντα γαρύετον | Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Digna sunt quae legantur, quae scripsit A. G. v. Hamel «de Oedipus der Fransche klassieken» (Gids Febr. 1897).

[1]) Ibidem Iocastae culpa lenitur: magnum quidem commisit facinus, sed — ἀϊδρείῃσι νόοιο (272).

Götting. 1852) insuperabilem fati vim invenimus. Fatum, inquit Pindarus, aut dolorem, aut gaudium parit hominibus (Ol. II—70):

ἐξ οὗπερ ἔκτεινε Λᾶον μόριμος υἱὸς
συναντόμενος, ἐν δὲ Πυθῶνι χρησθὲν
παλαίφατον τέλεσσεν.

Itaque, si Pindarum audimus, Oedipus, fatalis Laii filius, vetus oraculum explevit, quam ob rem de culpa cogitari non potest. [1]) Audax aenigmatis interpres non propter sua scelera poenas dat: tota gens Laii luctu obruitur, parentumque culpam luit rex miserabilis. [2]) Oedipus patrem occidit: esto; sed Laio erat praedictum:

ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστὶν
σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος.

Peccavit Laius, qui κρατηθεὶς ἐκ φίλων (Iocastae?) ἀβουλίᾶν suam ipse peperit perniciem; Oedipus autem totumque genus miseriis opprimitur, quod Labdaci filius Apollini non paruerat. In Oedipum quadrant verba, quibus chorus adloquitur Antigonam (Ant. 856): πατρῷον δ'ἐκτίνεις

---

[1]) Chrysippi raptus apud Sophoclem nusquam commemoratur. Notandum est apud Lacedaemonios dirum fatum eo leniri, quod ex eorum narrationibus ipse Oedipus amore deperibat Chrysippi; alii narrant Oedipum in pulchro iuvene rapiendo Laio opem praestitisse.

[2]) Parentum culpam a filiis nepotibusque lui vulgo credebatur, cf. Nauck pg. 21, Aeschyl. Sept. adv. Theb. 784 sqq.

τὰς δ'ἑβδόμας πύλας) — Ἀπόλλων εἴλετ', Οἰδίπου γένει / κραίνων παλαιὰς Λαΐου δυσβουλίας, O. C. 965 (verba sunt Oedipi): — θεοῖς γὰρ ἦν οὕτω φίλον / τάχ' ἄν τι μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι.

τιν' ἄθλον, ubi vide Nauckii adnotationem. Patris occisionem ipse optime excusat O. C. 991 sqq., quippe qui nondum natus iam crudeli destinatus esset sorti [1]), quam avertere nullo modo poterat. Deis est invisus, non bonae Fortunae, ut ipse alibi (vs. 1080) opinatur, sed malae filius. De hac re ridendo verum dixit Aristophanes in festivissimo loco fabulae, quae dicitur Ranae; ibi enim rixantur Aeschylus Euripidesque de prologorum meritis: dicenti Euripidi: (1181 sqq.) ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ.

Aeschylus respondet:

μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ', ἀλλὰ κακοδαίμων φύσει,
ὅντινα γε πρὶν φῦναι μὲν Ἀπόλλων ἔφη
ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, πρὶν καὶ γεγονέναι,
πῶς οὗτος ἦν τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ; [2])

Eur.: εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν.

---

[1]) «Das Schicksal des Oedipus ist schon vor seiner Geburt bestimmt und es tritt met dem vollen Charakter der Unabwendbarkeit auf.» Wolff—Bellermann pg. 136.

«Schon vor seiner Geburt ist er ohne seine Schuld zum Werkzeuge der über seine Eltern verhängten göttlichen Strafe ausersehen.» Nauck pg. 18.

«Ein willenloses Werkzeug in den Händen der Götter.» Bruhn pg. 32.

[2]) De tota sententia cf. Eur. Phoen. 1595 sqq.:

ὦ μοῖρ', ἀπ' ἀρχῆς ὡς μ' ἔφυσας ἄθλιον
[καὶ τλήμον', εἴ τις ἄλλος ἀνθρώπων ἔφυ]·
ὃν καὶ πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς(?) μολεῖν,
ἄγονον Ἀπόλλων Λαΐῳ μ' (γ' v. Herw.) ἐθέσπισε
φονέα γενέσθαι πατρός. ὦ τάλας ἐγώ.

Aesch.: μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ', οὐ μὲν οὖν ἐπαύσατο [1])
πῶς γάρ; ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ,
ἵνα μὴ 'κτραφεὶς γένοιτο τοῦ πατρὸς φονεύς·
εἶθ' ἁπτῆ.

Laius, Apolline invito, immo vetante, filium genuit, haec πρώταρχος ἄτη est. Oedipus vero ipse ab omni culpa liber est (cf. O. C. 960 sqq.). Iure apud Senecam miserum filium his verbis consolari conatur Iocasta:

„Fati ista culpa est; nemo fit fato nocens",

neque video, quid nonnullos moverit, ut Oedipum cum Agamemnone Aeschyleo compararent. (e. g. Limburg Brouwer pg. 40). Agamemnon enim, prava correptus ambitione, suam ipse filiam mactat, paternas manus cruore virginis innocentis foedans iuxta altaria: manu Clytaemnestrae moritur ἄξια δράσας ἄξια πάσχων. Eum mater filiae ultrix interficit, non dirum fatum neque culpa paterna: πατρόθεν δὲ συλλήπτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.

Non sine risu legi, quod scribit Schütz pg. 99: „er brauchte nur (!) nicht zu tödten" cett., quae verba optime refutantur iis, quae Oedipus ad Creontem dicit in O. C.:

---

[1]) Hoc loco haereo. Quomodo Aeschylus enim dicere potest: Oedipus non desinebat infelix fieri (γίγνεσθαι cf. εἶτ' ἐγένετ'); sensus requirit: miserrimus esse (εἶναι) non desiit. Quid plura? Lenissima correctione vera restituatur lectio; legendum enim procul dubio: οὐ μὲν οὖν ἐπαύσατ' ὤν. Idem, ut nunc video, olim proposuit v. Herwerden.

εἴ τις σὲ τὸν δίκαιον αὐτίκ' ἐνθάδε
κτείνοι παραστάς, πότερα πυνθάνοι' ἂν εἰ
πατήρ σ' ὁ καίνων ἢ τίνοι' ἄν εὐθέως; [1])

Optime Oedipi facta illustrantur fabula, quae inscribitur Oedipus Colonaeus: cohaerere autem inter sese O. R. et O. C. nos docet locus e priore fabula (vs. 1457), ubi Laii filius exclamat:

οὐ γὰρ ἄν ποτε
θνήσκων ἐσώθην μὴ ἐπί τῳ δεινῷ κακῷ.

In Colonaeo Thesei auxilium implorantem videmus regem infortunatum multis peragratis terris, multisque exanclatis laboribus, ad quas miserias locum laudatum spectare nemo negabit.

Minus probabilis, quamvis blanda, est coniectura in vss. 1460—1461: ἄνδρες εἰσίν, ὥστε μὴ / σπάνιν ποτ' ἄν σχεῖν, ἔνθ' ἂν ὦσι, τοῦ βίου verba ἔνθ' ἂν ὦσι ad Polynicis spectare exsilium. Utut est, Oedipi persona, quam in nostra fabula invenimus, illustratur multis locis ex O. C.

In hoc dramate autem identidem confirmat Oedipus facta sua esse involuntaria, se a culpa liberum, fati necessitate coactum, patris factum esse occisorem, matris infelicis coniugem. cf. 266—267 ἐπεὶ τάγ' ἔργα μου / πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον ἢ δεδρακότα κτέ. 521 ἤνεγκον κακότατ' —

[1]) cf. Aristot. 1135, a 28: ἐνδέχεται δὲ τὸν τυπτόμενον πατέρα εἶναι, τὸν δ' ὅτι μὲν ἄνθρωπος ἢ τῶν παρόντων τις γιγνώσκειν, ὅτι δὲ πατὴρ ἀγνοεῖν, ubi Aristoteles de Oedipo cogitasse videtur.

ἄκων, 977 πῶς ἂν τό γ' ἄκον πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις;

Idem dicit Antigona, ubi incolarum choro persuadere conatur (vss. 236 sqq.): ἔργων / ἀκόντων ἀίοντες αὐδάν.

Invitus Oedipus fecit quae patravit, inscius cum matre in turpi vixit consuetudine: κακᾷ μ'εὐνᾷ πόλις σύδὲν ἴδριν / γάμων ἐνέδησεν ἄτᾳ (O. C. vss. 525—526) — Legentes et relegentes utramque fabulam (O. R. et O. C.) sentimus, quam frustra cum deis deorumque fatis pugnent homines — ἀλαοὶ βροτοί —, qui ne cognitis quidem futuris sortem effugere possunt: „Menschenwitz ist machtlos gegen Götterwillen."

Laius occisus est a filio, qui tamen „παθὼν ἀντέδρα" (O. C. 271) et bene se ipse defendit O. C. 545 sqq.:

καὶ γὰρ ἄνους (i. e. ἀγνοῶν) ἐφόνευσα καὶ ὤλεσα·
νόμῳ δὲ καθαρός, ἄιδρις εἰς τόδ' ἦλθον.

Apollodorus autem (II 4, 9, 2) summo iure iustissimi Rhadamanthi citat sententiam: ὃς ἂν ἀμύνηται τὸν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντα, ἀθῷον εἶναι. Oedipus enim necopinato a Laio verberatur, postquam auriga et ipse senex frustra eum detrudere conati sunt. Iusta exardescit ira, caeditque Laium „aufs äusserste gereizt" (Schmelzer). Idem iudicant Bruhn pg. 6 „zur Notwehr gezwungen" et Limburg Brouwer pg. 31 „volkomen onschuldig aan eigenlijken vadermoord." [1])

---

[1]) Wolff—Bellerman ad vers. 804 inter alia summo iure haec

Optime videmus, quam innocens apud Sophoclem sit Oedipus, si recordamur quomodo Euripides totam hanc scenam in Phoenissarum prologo narraverit (vss. 39 sqq.).

καί νιν κελεύει Λαΐου τροχηλάτης·
„ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο."
ὁ δ'εἶρπ' ἄναυδος, μέγα Φρονῶν· πῶλοι δέ νιν
χηλαῖς τένοντας ἐξεφοίνισσον ποδῶν.
ὅθεν — τί κἀκτὸς τῶν κακῶν με δεῖ λέγειν; —
παῖς πατέρα καίνει καὶ λαβὼν ὀχήματα
Πολύβῳ τροφεῖ δίδωσιν κτέ.

Itaque apud Euripidem Oedipus, ab auriga rogatus ut de via deflectat, nihil respondet, mutus vero et superbus ire pergit. Videmus apud hunc Oedipi culpam augeri, apud Sophoclem contra Laium sui mali esse auctorem. Sagaciter de utraque scena disputavit Bruhn pg. 35.

At, inquiunt, iniuria Oedipus irascitur Tiresiae, venerabili seni, vati eximio; qui ita dicunt, mihi quidem persuadere numquam poterunt. Oedipus enim omnibus modis Thebas servare conatur; augur, qui se futura novisse fatetur, fatum aperire recusat; causam cur recuset ignorat rex.

---

adnotavit: durch πρὸς βίαν wird ausdrucklich hervorgehoben, dass Oidipus der Angegriffene war; ebenso liegt in ἐκτρέπειν ein gewaltsames Drängen. Sie forderten ihn nicht etwa mit Worten auf (ut apud Euripidem), sondern trieben ihn in dem engen Wege, wo überhaupt schwer auszuweichen war, herrisch und mit Gewalt zur Seite.

Nonne iure rex augustus, qui vel ad preces descendit (vss. 326—327) exclamat: καὶ γὰρ ἂν πέτρου / Φύσιν σύγ' ὀργάνειας [1]) (vss. 334—335). Personae Sophoclis homines sunt, a quibus nil humani alienum est: angeli in terra neque reperti sunt, neque umquam reperientur. [2]) Iracundior, quam Oedipus, Tiresias est, quippe qui neque senectute, neque misericordia retineatur, quin miserum hominem, qui de se non sollicitus cives suos servare vult, diris verbis contundat. cf. Schmelzer pg. 39, 42.

Bene Schmelzer exposuit Oedipum, ambiguis auguris verbis irritatum, non sine causa Creontem in suspicionem vocare: Creon Delphos est missus, idem regi suasit, ut arcesseret vatem, idem Oedipo occiso vel expulso in regnum successurus est. Rem acu tetigit Schol. ad vs. 681: εἰκότως ὠργίσθη (scil. Oedipus) cf. Bruhn pg. 36.

Postremo, si Sophocles indicare voluisset, Oedipum *malorum suorum* esse auctorem, ipse rex, ut saepe fit in tragoediis, id elocutus esset. Sic in Antigonae fine chorus contendit in mala agi Creontem: οὐκ ἀλλοτρίας / ἄτης, ἀλλ' αὐτὸς ἁμαρτών.

---

[1]) ὀργίσειας?

[2]) Beloch (Gr. Gesch. I 575) agens de Sophocle haec habet: seine Personen sind keine Heroen mehr, es sind Menschen. Sequentia *minus mihi placent*: aber, nach des Dichters eigenem Ausspruche, nicht Menschen, wie sie sind, sondern wie sie sein sollen, vollendete

Confitetur idem Creon filium periisse ἐμαῖς οὐδὲ σαῖσι δυσβουλίαις, miseriis fractus ὀψὲ τὴν δίκην ὁρᾷ. Eodem modo in Baccharum exitu Agave et Cadmus se peccavisse non negant: Διόνυσε, λισσόμεσθά σ', ἠδικήκαμεν. Aliter se gerit Oedipus: ἄναγνον se esse praedicat, ut impiis natum parentibus, δύστηνον, ut fato obrutum, θεοῖς ἐχθρότατον βροτῶν, ut deorum voluntate in miserias coniectum, nusquam autem se ipse auctorem malorum irruentium vocat. Quomodo autem malus esse potest heros, cuius sepulcrum beatitudinem victoriamque aeternam praebebit Athenis, urbi θεοσεβεστάτῃ, quam Minerva et Neptunus aliique dei amant augentque. Identidem, fabulam O. R. legentibus, in mentem veniunt verba illa Aeschylea: τὸ τῆς ἀνάγκης ἔστ' ἀδήριτον σθένος. Peccavit Laius, poenas dabit Oedipus, cuius fatum multo maiorem misericordiam movet, quod deos colens, *iustissimus rex, Thebarum servator*, caeca sorte in *maximas* deicitur miserias. — Oedipus igitur me iudice heros est, quantum natura humana sinit, sine culpa, sine maculis [1]), magnis praeditus virtutibus. Admirationem *nostram movet* rex *praeclarus*, qui sua commoda

---

Tugendspiegel oder vollendete Bösewichter, soweit nicht der überlieferte Mythos dem Dichter die Hände band.

[1]) «das Fatum schmettert den Oedipus schuldlos nieder.» Schmelzer pg. 69.

«*Der Charakter des Sophokleischen Oedipus ist* fleckenlos.» Nauck pg. 19.

negligens civium sorti consulit, Thebanos a miseriis defendere omnibus nititur modis.

Summi viri est ad Tiresiae acerba verba (vs. 442) *αὕτη γε μέντοι σ' ἡ τύχη διώλεσεν* respondere: *ἀλλ' εἰ πόλιν τήνδ' ἐξέσωσ', οὔ μοι μέλει.* (vid. Schmelzer). Eodem modo vss. 380 sqq. non queritur, quod ipse, ut opinatur, a malis viris circumventus est, sed vitam deplorat hominum, qui alius alium omnibus modis superare nitentes, invidia pravaque aemulatione reguntur.

Iam ad vs. 1 optime Oedipi ingenium pingit Schol. adnotans: *Φιλόδημον καὶ προνοητικὸν τοῦ κοινῇ συμφέροντος τὸ τοῦ Οἰδίποδος ἦθος καὶ εὔνοιαν ἔχων ἀπὸ τοῦ πλήθους δι' ὧν αὐτοὺς εὐηργέτησεν.* Creon, referens oracula, revertitur, rogat levirum, num arbitris remotis dei responsum cum eo communicet: Oedipus vero, de se non curans, de urbis salute tantum cogitans, morae impatiens respondet: *ἐς πάντας αὔδα* (vs. 93). Hoc quoque loco bene Schol. poetae perspexit animum: *ἀξίως τοῦ βασιλικοῦ ἤθους δημοσίᾳ Φράζειν κελεύει — αὔξει δὲ ὁ ποιητὴς τὸ ὡς εὐνοϊκὸν ἦθος τοῦ Οἰδίποδος κτἑ.* Chori precibus motus Oedipus Creontem incolumem abire patitur, quamquam veretur, ne sua periclitetur vita: *ὁ δ'οὖν ἴτω, κεἰ χρή με παντελῶς θανεῖν*, ubi idem Schol. adnotat: *τὸ Φιλόκοινον αὐτοῦ κἀνταῦθα δείκνυσιν ὡς οὐ δι' ἑαυτὸν παρακεχωρηκότος ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν κἂν δέῃ αὐτὸν πεισθέντα κινδυνεῦσαι.*

Videamus porro, quomodo colat Iocastam, amet infeli-

ces filias in scena pulcherrima, ubi, quamquam oculis privatus, de sorte sua certior factus, suae tamen miseriae mentionem non facit. Deplorat puellas innocentissimas, futuras omnis gaudii expertes: de suis rebus tacet. Talis et tantus vir non solum misericordia sed etiam reverentia et admiratione nos complet: admiramur animum laborum et doloris patientem, semper de aliis sollicitum, nulla fati vi ad impietatem commotum. Nusquam in Graecorum fabulis virum inveni tantae animi altitudinis, tanti nullo dolore victi roboris, tantae innocentiae, tanti patriae amoris.

Alium animum prodit Creon in oratione notissima (Ant. 162 sqq.), alium Oedipus: Thebani eum, ut patrem colunt, ipse civibus suis mitis est rex: πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν. — [1])

Oedipus, qui Sphingis aenigma haud cunctanter solvit, γνώμῃ κυρήσας, est, ut iure contendit Schmelzer, „ein denkender Mann." Etiam in rixa cum Creonte Oedipi verba ostendunt „den logischen Kopf."; iure enim rogat rex, num vates, Laio occiso, statim occisorem indicaverit, num statim cives, duce amisso, de caede

---

[1]) Limburg Brouwer pg. 42: wanneer wij zien hoe zijne onderdanen hem eeren en liefhebben. Weinig scheelt het, of zij vergoden hem, den edelen redder van hun vaderland, den regtvaardigen koning, den vriend zijner onderdanen.

inquisiverint. In rem inquisivimus, respondet Creon, nihil vero conficiebatur. — Sequuntur Oedipi verba, quae sagacem produnt animum: πῶς οὖν τόθ' οὗτος ὁ σοφὸς οὐκ ηὔδα τάδε; ad quae Creon nihil respondere potest nisi: οὐκ οἶδ' κτἑ. —

Mihi quidem Oedipus esse videtur vir praestantissimus, cuius animum semper caecus occupat horror, neque profecto sine iusta causa. Iuvenis enim Delphos erat profectus, ut de parentibus suis inquireret oraculum; Apollo vero, ut ipse narrat (vss. 788 sqq.):

ὧν μὲν ἱκόμην,
ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια (?)
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προυφάνη (?) λέγων,
ὡς μητρὶ μὲν χρείη με μειχθῆναι, γένος δ'
ἄτλητον ἀνθρώποισι δηλώσοιμ' ὁρᾶν,
φονεὺς δ' ἐσοίμην τοῦ φυτεύσαντος πατρός.

Adierat Apollinem, ut de parentibus certior fieret: tale audivit responsum. Non profecto est mirandum Oedipum, specie potentissimum felicissimumque Thebarum regem, re vera sibi miserrimum videri semperque oraculorum horribilium exspectare eventum. Haec vera est tragica ironia: omnibus est magnus imperator, sibi videtur homo imbecillus, cui semper horrenda imminet sors: sic demum locus, ubi Oedipus ab ipso vocatur ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους, nobis fit clarus (vid. infra Append.), sic demum vocabula ὁ μηδὲν εἰδὼς Οἰδίπους, praesertim autem notissima illa καὶ

νοσοῦντες — ὡς ἐγὼ / οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ tragicam adsumunt vim. [1]).

Alios iuvare potest, Sphingis aenigma solvit — de sua salute desperat; animus, luctus peaesagus, semper imminens exspectat fatum: quando (sic identidem sese interrogasse putandus est) oracula, quae numquam mentita sunt, evenient? Praesensio malorum, ut atra nubes, animo miseri viri incumbit: semper cavet, timet, ubique inimicum odoratur. Hinc identidem horrore obruitur, irascitur, metuit, sperat, ἔστι τοῦ λέγοντος, ἣν Φόβους λέγῃ (917), ut ipse paullo post (974) confitetur: ἐγὼ δὲ τῷ φόβῳ παρηγόμην. Hinc etiam explicandum est, quod identidem Oedipus loquitur „mit unbewusster Erregtheit", ut recte ait Schmelzer. Optime inquietus eius animus pingitur in oratione, qua inde a versu 216 cives adhortatur, ut occisorem indagent, imprimis autem iis versibus, ubi ignotum Laii percussorem devovet Furiis. [2])

Non sum ignarus multis talem Oedipi ingenii explicationem parum placere, provocantibus ad Aristotelem (1453 a 10), ubi inter alia philosophus contendit tragicam personam μεταβάλλειν εἰς δυστυχίαν — δι' ἁμαρτίαν τινὰ κτἑ. Videamus tamen, quid sit ἁμαρτία, cuius vocabuli

---

[1]) De tragica ironia vide Bruhn pg. 28 sqq., Dindorf ad O. R. 76.

[2]) Dass aber hinter all den überlegenden Worten doch eine heftige Gemütsart steckt, zeigen die wiederkehrenden Anakoluthieen des Ausdrucks. Schmelzer pg. 30.

sensum optime ex ipso Aristotele discimus. Legimus enim p. 1427 a 7: ἀδικίαν δὲ καὶ ἁμάρτημα καὶ ἀτυχίαν ἂν διορίζῃς, τὸ μὲν ἐκ προνοίας κακόν τι ποιεῖν ἀδικίαν τίθει, καὶ φάθι δεῖν τιμωρίαν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις τὴν μεγίστην λαμβάνειν· τὸ δὲ δι' ἄγνοιαν βλαβερόν τι πράττειν ἁμαρτίαν εἶναι φατέον. Praeterea citat Bellermann p. 1135 b 12: τριῶν δὴ οὐσῶν βλαβῶν τῶν ἐν ταῖς κοινωνίαις, τὰ μὲν μετ' ἀγνοίας ἁμαρτήματά ἐστιν.

Ex his, quae dixi, conficere possumus, quid sibi velint apud Aristotelem vocabula ἁμαρτάνειν, ἁμαρτία, ἁμάρτημα. Ἁμαρτάνει enim is, qui inscius perpetrat factum, ex quo mala sibi et aliis nascuntur. [1])

Talis vir tamen ab omni culpa liber est [2]), facinus eius est ἄκον (cf. O. C.), et ἀγνοῶν (cf. O. C. ἄνους) suas creat miserias. Hae notiones quadrant in Oedipum, quam rem, ut exposui, Oedipi Colonaei lectio confirmat.

Pluribus locis apud Aristotelem quae dixi illustrantur e. g. p. 1453 a 18: νῦν δὲ περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ κάλλισται τραγῳδίαι συντίθενται, οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα καὶ Ὀρέστην καὶ

---

[1]) Cum amara ironia Prometheus (vs. 266) dicit: ἑκων ἑκων — ἥμαρτον: «das ἁμάρτημα wird auf die im flg. Verse angegebene Nichtberücksichtigung des eigenen Nutzens beschränkt, wodurch der «Fehler» zur edlen That umgewandelt wird.» cf. Ant. 924, τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην.

[2]) Cf. fragmentum Sophoclis, quod servatur apud Stobaeum 46, 6: ἄκων δ' ἁμαρτὼν οὔτις ἀνθρώπων κακός.

Μελέαγρον καὶ Θυέστην καὶ Τήλεφον καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι. Ultima verba magni sunt momenti: Thyestes v. c. δεινὰ ἔπαθεν (cf. O. C. vs. 266 ἐπεὶ τά γ' ἔργα μου / πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον ἢ δεδρακότα). Similiter legimus 1453 b 30: ἔστιν δὲ πρᾶξαι μέν, ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινόν (cf. O. C. vs. 547 καὶ γὰρ ἄνους ἐφόνευσα).

Itaque Aristoteles nos docet Oedipum esse virum „whose reverses are not due to crime, but only to unconscious error." (Jebb)

Haec de Oedipi ingenio disserere mihi erat in animo: de ceterarum personarum moribus iam satis disputaverunt interpretes, neque quicquam habeo, quod addam. Itaque idem retractare supersedeo:

ἐχθρὸν δέ μοί ἐστι
αὔτις ἀριζήλως ϝεϝρημένα μυθολογεύειν.

CAPUT II.

Animadversiones Criticae et Epicriticae.

Ad vs. 11:

ἀλλ' ὦ γεραιέ, φράζ', ἐπεὶ πρέπων ἔφυς
πρὸ τῶνδε Φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε,
δείσαντες ἢ στέξαντες; ὡς θέλοντος ἂν
ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν κτλ.

Laurentianus habet στέρξαντες, a man. rec. mutatum in στέξαντες, quod etiam legitur in Par. A. Erat cum valde mihi arrideret lectio στέρξαντες, quod non eram ignarus litteram ρ sexcentis locis esse amissam, itaque vocabulum στέρξαντες facile in στέξαντες abire potuisse. [1])

---

[1]) De littera ρ amissa vel iniuria inserta cf. v. Herwerden ad O. R. pg. 119—120. Locis ibi citatis adde Aesch. Suppl. 13:

Δαναὸς δὲ πατὴρ καὶ βούλαρχος
καὶ στασίαρχος τάδε πεσσονομῶν
κύδιστ' ἀχέων ἐπέκρανε,

ubi summo iure A. M. Rogers proposuit: κύδιστα χρεῶν ἐπέκρανε; comparari enim potest Suppl. 379 (Wecklein):

Accuratius vero locum inspicienti non bene inter sese opponi videbantur δείσαντες et στέρξαντες, sive cum Herwerdeno, qui alibi coniecit θαρσοῦντες, vocabulum στέργειν explicas „accommodare ad ea, quae mutari nequeunt, aequo et placido animo ferre", [1]) sive cum Schuetzio „veriti an venerati" (scil. deos), sive cum Bellermanno „verlangen, wünschen", ut alia tentamina silentio praetermittam, imprimis autem Ellendtii absurdam explica-

---

μονοσκήπτροισι δ' ἐν θρόνοις χρέος
πᾶν ἐπικραίνεις.

Vide praeterea O. R. 155—156, O. C. 721. —

O. R. 511: τῷ ἀπ' ἐμᾶς φρενὸς
οὔποτ' ὀφλήσει κακίαν, ubi hiatus amovendi causa G. Wolff pro ἀπ' proposuit παρ': si quid mutandum, praetulerim propter correctionis levitatem, quod coniecit v. Herwerden τῷ ῥ' ἀπ' κτἑ.

Inversa ratione O. R. 525 L. habet τοῦ πρόσθ', ubi sensus requirit lectionem ab omnibus fere recentioribus receptam τοὔπος θ'., ibid. 324 r habet φρόνημ' pro necessario φώνημ', 433 in r legitur φρονήσοντ' pro φωνήσοντ'.

Eiusdem fabulae vers. 870 in L. legitur οὐδὲ μήν ποτε λάθραι κατακοιμάσῃι: recentiores codices fere omnes veram praebent lectionem, scil. λάθα.

Sic Schol. Ai. 245 habet πρότερον, ubi iam Lascaris summo iure reposuit πότερον. In scholio ad eandem fabulam (vs. 472) in Laurentiano legitur δειλὸς ψυχρός, quod acute Lobeck mutavit in δειλόψυχος; suspicor primo ex δειλόψυχος addita littera ρ, factum esse δειλόψυχρος, tum autem correctorem, non ignarum, quam saepe omittatur etiam littera σ pro δειλόψυχρος, dedisse ineptum illud δειλὸς ψυχρός. Postremo Aesch. Agam. 1165 codices fluctuant inter θραύματ' et θαύματ'.

[1]) Quid enim opus erat supplicatione, si placido animo cives irruentia ferrent mala?

tionem, inconsulte repetitam a Dindorfio in lexico: „num metum vestrum an desideria mecum communicaturi (!) adestis?" Non enim legitur στέρξοντες, quod, quamvis dubitabundus, proposuit Wecklein „Ars Sophoclis emendandi" pg. 38, sed στέρξαντες. [1])

Minime autem placet, quod vir doctus in diario classico (XII pg. 342) coniecit ἢ οὐ στέρξαντες (non acquiescentes tali rerum statu): cives Thebanos malis non acquiescere ex ipsa supplicatione satis patet. Eanden coniecturam repetivit Margoliouth Stud. scen. pg. 35.

Bruhn nuperrime proposuit δείσαντες εἶτ' εἴρξοντες, recte refutatus a Wecklinio.

Heathii explicatio „cupientes (?) aut desiderantes" mihi obscura est: Elmsleius postremo ad hunc locum adnotat fortasse vertendum esse: „metune perculsi, an spem salutis habentes." Oppositio pulcherrima, si modo ex ipsis poetae verbis elici posset!

Locus difficillimus lucem accipere mihi videtur ex vss. 4—5:

---

[1]) Docta de verbo στέργειν disputatio videatur apud Schuetzium «Sophokleische Studien» pg. 70—72. Noli dubitare idem vocabulum cum Schneidewino restituere Ai. 499 ubi L. habet δούλιον ἕξειν τροφήν (vulgo sine idonea causa mutatum in δουλίαν): optimum enim habemus sensum, si legimus: δούλιον στέρξειν τροφήν, coll. Trach. 992, quamquam non inepte ibi scripseris πῶς ἄν / στέξαιμι (taceam) κακὸν τόδε λεύσσων, comparatis chori verbis ὅσον ἦν κέρδος / σιγῇ κεύθειν. Vide Hesych. στέγει· κρύπτει.

(De formis στέξω et ἔστεξα plura dicam infra).

πόλις δ'ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει
ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων,

ubi Schol: πόλις δ'ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων· οἱ μὲν μηδὲν πεπονθότες ἐπὶ ἀποτροπῇ τοῦ κακοῦ θύουσιν καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν οἱ δὲ ἐπταικότες ἐπὶ τοῖς οἰκείοις κακοῖς ἀποιμώζουσιν.

Bene vocem παιάνων explicasse mihi videtur Bellermann adnotans: „Der Paian ist ursprünglich ein an Apollon gerichterer Gesang; er erscheint teils als *Bitte um Heilung*, um Hülfe in der Not, den Zorn der Gottheit zu versöhnen, wie hier; teils als Dank- und Siegeslied, später auch allgemein als Schlachtgesang." (Jebb recte vertit: prayers for health; παιάνων τε καὶ στεναγμάτων explicat Bruhn: *Gebete* und *Wehklagen*.) Comparari potest Hom. Il. I, 473: οἳ δὲ παννημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο, / καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν.

Loco, de quo agimus, simillimus est nostrae fabulae vs. 187:

παιὰν δὲ λάμπει στονόεσσα τε γῆρυς ὅμαυλος,

ad quem locum adnotat Schol.: παιὰν δὲ λάμπει ἀντι ἀκμάζει, λαμπρῶς τῇ Φωνῇ λέγεται πρὸς ἀποτροπὴν τῶν κακῶν· ὅμαυλος δὲ ἀντὶ ὁμόθρους, ὁμόφωνος· τοῦτο δὲ ὅμοιόν ἐστι (τῷ) ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων.

Conferendus praeterea H. Stephanus in Thesauro Graecae Linguae s. v. παιάν: „Hymnus in laudem Apollinis, necnon Dianae, secundum alios, qui canebatur ad

amoliendum et propulsandum aliquod malum, sive morbi ac praesertim pestis, sive belli." Sic ipse Sophocles παιᾶνα composuisse dicitur in honorem Aesculapii ad magnam pestem amovendam. cf. Paus VII, 23,8. Philostr. V Apoll. III, 17. Corp. Inscr. Att. III 1 pag. 490 Kaibel Rhein. Mus. 34, 207 Bergk Lyr. II pag. 248. Omnem de hac significatione dubitationem tollit E. M. 657, 12 παιήων ὁ καταπαύων ὕμνος τὸν λοιμόν.

Ex his igitur, quae dixi, patet παιάν significare posse carmen „fausto omine plenum" (Ellendt), ad propellenda pericula accommodatum.

Quid plura? In vs. 5 (ut in vs. 187) opponuntur παιᾶνες et στεναγματα i. e. ei qui mortem timentes et de suorum sorte solliciti per carmina sollemnia deum placare conantur, et ei qui consanguineis et amicis peste abreptis gemitus cient.

In vs. 11 autem procul dubio sibi opponuntur verba δείσαντες et στέξαντες (vel στέρξαντες), ita ut δείσαντες, respondeat vocabulo praegresso παιάνων, * στέξαντες vero vocabulo στεναγμάτων. Oedipus enim dicit: quo modo (πῶς διακείμενοι) hic sedetis, timentes pericula futura (ideoque ad placandum terribilem deum παιᾶνας canentes cf. O. C. 604 ποῖον πάθος δείσαντας), an dolentes eos, qui iam mortui sunt?

Itaque στέξαντες (στέρξαντες), quod omni sensu carere videtur, corruptum est et legendum στένοντες.

Lectio στένοντες aliquatenus confirmatur vs. 17, ubi Laur. pro necessario σθένοντες praebet lectionem στένοντες, quod fortasse ex vs. 11 repetitum est. [1])

Simili modo verbum στένειν adhibetur de eo, qui mortui sortem deflet e. g. Phil. 338, ubi Philoctetes, postquam Neoptolemus patris narravit exitum, exclamat: ἀμηχανῶ δὲ πότερον — ἢ κεῖνον (Achillem mortuum) στένω. Antigona patrem mortuum deplorat (O. C. 1710): ὄμμα σε τόδ', ὦ πάτερ, ἐμὸν / στένει δακρῦον. Praeterea conferri possunt O. C. 1647, ubi tamen dubito, num lectio στένοντες sana sit, El. 1172, 1212.

Eodem sensu utitur poeta vocabulo στενάχειν El. 133, 141, 1076, ἐπιστένειν Trach. 947.

Litterarum $\overline{\nu}$ et $\overline{\xi}$ confusio eo facilius explicatur, quod codex Mediceus, ut iam Godofredus Hermannus in Aeschyli editione observavit, descriptus est ex libro litteris quadratis exarato. Vide v. Leeuwen „Commentatio de Aiacis Sophoclei authentia et integritate" et E. J. Kiehl „de Prometheo Aeschyli denuo edendo" pg. 27 sqq.

In Aeschyli Supplicibus e. g. invenitur vs. 2. ναῖον ἀρόεντ' pro necessario νάιον ἀρθέντ', quod restituit Turnebus. Vs. 15 legitur κεκσαι pro κέλσαι, ad quem locum Wecklein in editione Graeca adnotat: τοιαῦτα

---

[1]) Inversa ratione Anth. Pal. VI 93, 4 pro ἔστεγον legendum ἔσθενον cum Iacobsio.

σφάλματα μηνύουσιν, ὅτι ὁ Μεδίκειος κῶδιξ κατάγεται ἐκ χειρογράφου κεφαλαίων γραμμάτων. In eadem fabula (vs. 68) absurde legitur ἔο ἐν, pro quo reposuit Porson ἔθεν.

Quod ad Oedipum Regem attinet, in vs. 1437 a plerisque iniuria editur ὅπου / θνητῶν φανοῦμαι μηδενὸς προσήγορος, ubi procul dubio cum Meinekeo, cuius egregiam coniecturam receperunt Nauck et van Herwerden, legendum est θανοῦμαι. Confunduntur Θ (saepius hoc modo scriptum: Φ) et Φ, vid. Herwerdeni ad hunc locum adnotationem. Exempla, ibi allata, pluribus augeri possunt: O. R. 840 v. c. (Π)ΑΘΟΣ fortasse natum est ex (Σ)ΑΦΟΣ (σαφῶς), ut coniecit Meineke. Notanda tamen sunt, quae habet Jebb: „the conjecture ἄγος (v. Herwerden et Schmidt) is specious. But πάθος shows a finer touch; it is the euphemism of a shrinking mind (like the phrase ἤν τι πάθω for θάνω)"; itaque vulgata fort. retineri potest.

Ant. 600 Kock et alii, nescio an recte, proposuerunt θά(λ)ος pro φάος [1]), Aesch. Suppl. 336 pro φίλους v. Herwerden commendat θέλουσ'. Eodem modo O. R. 1320 καὶ θαῦμά γ' οὐδὲν ἐν τοσοῖσδε πήμασιν / διπλᾶ σε πενθεῖν καὶ διπλᾶ φορεῖν κακά vocabulum θροεῖν, quod pro φορεῖν proposuit Nauck, cui assentiuntur Heimsoeth et v. Herwerden, primum in φροεῖν corruptum videtur, deinde litteris

---

[1]) Vide tamen v. Herwerden Mnemos. N. S. XVII pg. 263.

ρ et ο loco mutatis natum esse inexplicabile illud φορεῖν. De litteris transpositis vid. Wecklein (Ars Sophoclis emendandi pg. 22), cuius disputationi plura addere possis exempla. In O. C. e. g. vs. 1640 optimus codex habet φέρειν, deteriores φρενί (natum ex φρενει); in eiusdem dramatis vs. 204 pro necessario τίς ἔφυς optimus codex praebet τίς σ' ἔφυ, quod iam correxit Schol., qui adnotat: γράφε· τίς ἔφυς. Sic Schol. ad Ai. 815 pro ἰέναι per errorem scripsit εἶναι; in eadem fabula (vs. 1087) ἕρπει παραλλὰξ ταῦτα pro ἕρπει legere malim ῥέπει, quod nunc video iam a Meklero esse coniectum. El. 111 verba πότνι' ἀρά apud Schol. corrupta sunt in absurdum πόντι' ἀρά, ibid. vers. 567 pro ἐξεκίνησεν cod. Aug. b. habet ἐξενίκησεν, postremo Schol. El. 1437 pulcherrime pro tradito τῶι coniecit ὠτί Papageorgius. —

Sed, ut revertar, unde profectus sum, ϑ et φ etiam confunduntur O. R. vs. 87 ubi Heimsoeth, plaudentibus omnibus, ex scholiis pro δύσφορ' reposuit δύσθρο'. Optime videmus, quam facile litterae ϑ et φ confundantur ex Ant. vs. 40, ubi in Laurentiano legitur λύουσ' ἢ ϑάπτουσα cum varia lectione ἢ 'φάπτουσα; sic nostrae fabulae vs. 1360 pro ἄϑλιος vulgo ex Erfurdtii coniectura editur ἄθεος; praetulerim leniorem, eandemque aptiorem emendationem Schmelzeri ἄφιλος, quem vide. Legitur enim apud Sophoclem νῦν δ' ἄϑλιος μέν εἰμ', ἀνοσίων δὲ παῖς, qui autem filius est parentum impiorum iam per se est

ἄθεος (sensu „door de goden verlaten"), itaque coniectura ἄθεος tautologia nasci videtur. Comparare iuvat vs. 661: ἐπεὶ ἄθεος ἄφιλος ὅ τι πύματον | ὀλοίμαν, ubi ἄθεος et ἄφιλος iunguntur.

Ex frequenti litterarum transpositione explicanda esse videtur vocabulorum τρέφειν et φέρειν confusio, quae ubique invenitur; (τ)ρέφειν enim, littera τ semel amissa, mutabatur in φέρειν. Blaydes τρέφω pro φέρω malit O. R. 90, sine causa; nam optime se habet φέρειν πένθος, neque video, quo nomine idem ibid. 863: εἴ μοι ξυνείη φέροντι coniecerit τρέφοντι. Certior corruptio reperta esse videtur in huius dramatis vs. 519:

λόγοισιν εἴτ' ἔργοισιν εἰς βλάβην φέρον,
οὗτοι βίου μοι τοῦ μακραίωνος πόθος
φέροντι τήνδε βάξιν. οὐ γὰρ εἰς ἁπλοῦν
ἡ ζημία μοι τοῦ λόγου τούτου φέρει κτἑ.

Valde displicet verbum φέρειν, ter repetitum; legendum procul dubio τρέφοντι ut vidit, ni fallor, Tournier. Trach. 109 iam Casaubonus egregie δεῖμα τρέφουσαν ὁδοῦ emendavit pro φέρουσαν; etiam Ant. 1090: τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν ἢ νῦν φέρει fortasse cum Herwerdeno reponendum est τρέφει.

Ut Θ et Φ, sic in Laurentiano confunduntur Λ et Λ, cuius rei exempla passim inveniuntur; ecquid huc trahendum est O. R. vs. 1085? Ibi enim legitur: οὐκ ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι | ποτ' ἄλλος ὥστε μὴ 'κμαθεῖν τοὐμὸν

γένος, quem locum varie tentarunt critici (vid. editiones).

Molestum vocabulum ἄλλος ortum esse ex ἀλαός suspicantur Kayser et v. Herwerden, qui praeterea pro ποτ' coniecit ὧδ'. (De ἀλαός conferatur Aesch. Prom. 447, 550, Agam. 1623 ed. Weckl.).

Aliam viam ingressus antehac locum corruptum hoc modo restituere conatus sum:

τίνι τρόπῳ καθέσταται

δείξαντες ἢ στέξαντες;

Retinebat tamen me observatio, quae apud plurimos criticos iniuria legitur, formas στέξω et ἔστεξα nusquam inveniri. Nam non modo optime comparari possunt ψέγω, ψέξω (O. C. 1172, Ai. 1130), λέγω, λέξω, sed etiam omiserunt eidem critici tres locos: Anthol. Palat. XI 340,4 στέξαι (v. l. στέρξαι) τὴν νόσον οὐ δύναμαι et XII 179,4 στέξαι τἀγαθὸν οὐ δύναμαι. Utroque loco verbum στέξαι Schütz recte explicat „verbergen, verschweigen, geheim halten." Polyb. III 53,2 ἔστεξαν τὴν ἐκφορὰν τῶν βαρβάρων.

στέξαντες autem hoc loco ponitur sensu „silentio celare" ut Phil. 136 τί χρή, τί χρή με, δέσποτ', ἐν ξένᾳ ξένον / στέγειν ἢ τί λέγειν πρὸς ἄνδρ' ὑπόπταν; ubi opponuntur στέγειν et λέγειν. cf. O. R. 341 ἥξει γὰρ αὐτά, κἂν ἐγὼ σιγῇ στέγω, Soph. fr. 609 σύγγνωτε κἀνάσχεσθε σιγῶσαι. τὸ γὰρ γυναιξὶν αἰσχρὸν σὺν γυναικὶ δεῖ στέγειν.

Passive legitur Trach. 596 μόνον παρ' ὑμῶν εὖ στεγοίμεθ'· ubi Schol. μόνον παρ' ὑμῶν εὖ (στεγοίμεθα)· κρυπτοίμεθα οἷον σιωπὴ γένοιτο. Vide praeterea Trach. 989, ubi eadem significatione dictum invenitur σιγῇ κεύθειν. [1])

Δείξαντες vero — accepta quidem coniectura mea — significabit „in lucem edere, patefacere, enarrare", ut saepe. cf. El. 425

τοιαῦτά του παρόντος, ἡνίχ' ἡλίῳ
δείκνυσι τοὔναρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου. [2])

Schol. eo loco δεικνύναι explicat per διηγεῖσθαι.

Docte et accurate, ut solet, de hac verbi δεικνύναι significatione disputavit Valckenaer ad Eur. Phoen. 533:

ἀλλ' ἡ 'μπειρία
ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον, ubi Grotius legisse videtur δεῖξαι [3]), quippe qui vertat: „multa — monstrat experientia." Haec lectio, teste Valckenario etiam placuit Adr. Heringa. Idem Valckenaer ad Eur. Med. 741 πολλὴν ἔλεξας ἐν λόγοις προμηθίαν pro ἔλεξας coniecit ἔδειξας, quam coniecturam repetivit Meineke, receperunt autem Nauck et C. Kuiper. Longum est totam repetere disputationem; satis erit haec viri doctissimi

---

[1]) κεύθειν et στέγειν iunguntur Eur. Phoen. 1214: κακόν τι κεύθεις καὶ στέγεις ὑπὸ σκότῳ.

[2]) Haec verba etiam citantur Schol. O. C. 477.

[3]) Idem vocabulum restitutum est apud Luc. Am. 25 (426), qui Euripidis verba citat.

exscribere verba: „saepe δεῖξαι significat animi sententiam verbis declarare, atque adeo, quid censeas, ostendere."

Sic apud Hesiodum Op. 502: δείκνυε δὲ δμώεσσι, Θέρευς ἔτι μέσσου ἐόντος· / οὐκ αἰεὶ Θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς. vocabula δείκνυε δὲ δμώεσσι significant: „dic servis". Phil. 426 οἴμοι, δύ' αὖ τώδ' ἐξέδειξας κτἑ, ἐκδεικνύναι idem est atque ἐκλέγειν (L. δύ' αὖτως δεῖν . . . ἔλεξας γρ. δύ' αὐτὼ δ' ἐξέδειξας). Porson supra receptam lectionem restituit; alia tentamina vid. apud Nauck.

Postremo Valck. citat Aeschyl. Eum. 665, Soph. O. R. 278, Eur. Herc. fur. 173 (quibus adde O. C. 1532), in quibus locis δεῖξαι prorsus idem significat ac λέξαι.

δεικνύναι autem et λέγειν confunduntur e. g. El. 560 λέξω δέ σοι / ὡς οὐ δίκῃ γ' ἔκτεινας, ubi Morstadt, probante Nauckio, legit δείξω, quod confirmare videtur Schol. αὕτη γὰρ ἀπόδειξις κτἑ.; iniuria Kaibel, qui ubique vulgatam defendere conatur, praetulit λέξω.

Eadem verba iunguntur Schol. El. 4, ubi legimus τὸ περὶ τοῦ πυρὸς μέχρι τοῦ νῦν δεικνύμενον καὶ λεγόμενον κτἑ.

Fortasse etiam El. 1298 lectio, vulgo recepta, ἀλλ' ὡς ἐπ' ἄτῃ μὴ (pro τῇ coniecit Reiske) μάτην λελεγμένῃ / στένακζ'· corrigenda est, si constat, de qua re dubitari non potest, δεικνύναι positum significatione „enarrare" saepius inveniri. Laurentianus enim praebet lectionem: ἀλλ' ὡς ἐπ' ἄτῃ μὴ (τῇ) μάτην δ̣ε̣δ̣ε̣ι̣γμένῃ, ubi litterae λ λ ab altera manu

sunt additae, librarii scil. nescio cuius, quem effugerat δεικνύναι etiam significare „eloqui."

Sic Wecklein Phil. 509 pro ἔλεξεν suspicatur ἔδειξεν ibid. 559 pro ἅπερ (γ') ἔλεξας, ἅπερ ἐνέδειξας vel potius ὑπέδειξας.

Luc. dial. mort. 10, 13 totus contextus docet cum Schmidtio pro languido δειχθήσεται δὲ ἀκριβῶς ὁ ἑκάστου βίος legendum esse (ἐ)λεχθήσεται κτἑ.

Haec exempla sufficiunt ad demonstrandum, quod demonstrare volui. Itaque, recepta, quam proposui, coniectura, dicit Oedipus: Quomodo sedetis? Iam enarravistis (scil. τὸ κακόν) an silentio pressistis? Eloquere (mente enim repetendum φράζ' ex vs. 9); ego vos iuvare omnibus in rebus volo.

Ut hoc loco opponuntur δείξαντες et στέξαντες, sic Phil. vs. 136, quem iam supra laudavimus, sibi respondent λέγειν et στέγειν, O. R. 1229 autem κεύθειν et Φαίνειν.

Homoeoteleutum, ut δείξαντες ἢ στέξαντες, a Sophoclis arte alienum non est. cf. Ai. 1237 ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος, O. C. 1676 ἰδόντε καὶ παθόντε El. 1497 τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα cum Nauckii adnotationibus.

Vid. praeterea O. R. 777—778 ἀξία — ἀξία, ibid. 924—925 ὅπου (v. Herwerden malit ἵνα) — Οἰδίπου, ibid. 1481 ὡς τὰς ἀδελφὰς τάσδε τὰς ἐμὰς χέρας, Eur. Hel. 922—923 ἐξειδέναι — μὴ εἰδέναι.

Saepe talia homoeoteleuta, dicta cum acerbitate, com-

motiorem produnt animum e. g. Phil. 1009: ἀνάξιον μὲν σοῦ, κατάξιόν δ' ἐμοῦ.

Chrysothemis, a sorore calidiore lacessita, respondet (El. 1036): ἀτιμίας μὲν οὔ, προμηθίας δὲ σοῦ.

Ad vs. 37:

35 ὅς γ' ἐξέλυσας ἄστυ Καδμεῖον μολὼν
σκληρᾶς ἀοιδοῦ δασμὸν ὃν (v. Herw. ᾗ) παρείχομεν,
καὶ ταῦθ' ὑφ' ἡμῶν οὐδὲν ἐξειδὼς πλέον
οὐδ' ἐκδιδαχθείς, ἀλλὰ προσθήκῃ θεοῦ
λέγει νομίζει θ'ἡμὶν ὀρθῶσαι βίον.

Primus v. Herwerden recte observavit vocabula ταῦθ' ὑφ' ἡμῶν corrupta esse. Si enim ipsi „πλέον τι scivissent", non iis opus fuisset Oedipo. Iure idem contendit sensum postulare, ut Oedipus dicatur ope deorum aenigma solvisse, quamvis ipse neque ab hominibus neque ab avibus (ut e. g. Tiresias) quicquam comperisset ad Sphingis ambages explicandas. Itaque olim vir doct. locum corruptum sanare conatus est coniciendo καὶ ταῦτα γ'ἡμῶν, quae coniectura ipsi minus placebat, quod particula γε nusquam additur post formulam καὶ ταῦτα (idque). Probabilior eiusdem est coniectura καὶ ταῦτα Θηβῶν οὐδὲν ἐξειδὼς πλέον κτἑ.

Wecklein (Ars Soph. em. pg. 46) parum verisimiliter proposuit καὶ ταῦτ' ἐφήκων vel καὶ ταῦτ' ὑπ' ἄλλων.

Equidem non dubito, quin locus sit corruptus; lenior

tamen correctio mihi venit in mentem, quae fortasse ab omni parte satisfacit. Ecquid scripsit Sophocles: καὶ ταῦτα φημῶν οὐδὲν ἐξειδὼς πλέον i. e. οὐδὲν πλέον ἐξειδὼς φημῶν, ut ultimum vocabulum pendeat ab ἐξειδώς.

Notum enim est apud Sophoclem verba dicendi et audiendi saepissime cum nudo coniungi genetivo. (cf. Ai. 222, 318, 800, 1236 El. 317, 344, *565, 675 Trach. 351, 424, 431, *934: ἐκδιδαχθεὶς τῶν κατ' οἶκον, O. C. 355, 662, Phil. 439, si lectio sana, ἀναξίου φωτός pendet ab ἐξερήσομαι. Vid. Krüger Gr. II 47, 21, 3. Similiter Od. XI, 174 εἰπὲ δέ μοι πατρός τε καὶ υἱεός κτέ.). Eodem modo hoc loco ἐξειδώς iungitur cum genetivo φημῶν, ut Trach. 399 ὧν γ'ἂν ἐξειδὼς κυρῶ. De sententia comparandus est huius dramatis vs. 43, ubi sacerdos Oedipum hortatur, ut instans periculum propulset εἴτε του θεῶν / φήμην ἀκούσας εἴτ' ἀπ' ἀνδρὸς οἴσθα του· cf. 310 σὺ νῦν φθονήσας μήτ' ἀπ' οἰωνῶν φάτιν μήτ' εἴ τιν' ἄλλην μαντικῆς ἔχεις ὁδον, 395, 397 (ὁ μηδὲν εἰδὼς Οἰδίπους), 398.

Non iniuria praeterea Sophocles vocatus ὁμηρικώτατος, identidem legentibus sententias Homeri in mentem revocat, imprimis in fabula, quae inscribitur Aiax, ubi e. g. verba, quibus Aiax filiolum adloquitur, reducunt in memoriam pulcherrimam scenam (Il. VI 390—494) apud Homerum. Plura vide apud Nauck in praef. ad Electram pg. 21, 22, 28, et J. Rappold „Beiträge zur Kenntnis des Gleichnisses bei Aischylos, Sophokles und Euripides" pg. 17

sqq. Nonnulla, quamvis pauca, collegit F. H. Bos „Studia Sophoclea" (dissert. inaug. 1898). Iure Eustathius pg. 645—16 scribit ὅμοιον παρὰ τῷ Φιλομήρῳ Σοφοκλεῖ.

Hoc quoque loco Homeri meminit poeta, Od. scil. I 200—202, ubi Minerva, quae formam induit Mentis, haec dicit:

200 αὐτὰρ νῦν τοι ἐγὼ μαντεύσομαι, ὡς μ'ἐνὶ θυμῷ
ἀθάνατοι βάλλουσι καὶ ὡς τελέεσθαι ὀΐω,
οὔτε τι μάντις ἐὼν οὔτ' οἰωνῶν σάφα ϝειδώς·

Apud Homerum res se habet, ut apud Sophoclem: etiam Oedipus, quamquam non est vates, Sphingis tamen griphum solvit, idque προσθήκῃ θεοῦ (Schol. recte ἐπικουρίᾳ) i. e., ut loquar cum Homero: ὡς μ' ἐνὶ θυμῷ ἀθάνατοι βάλλουσι, cf. etiam Od. XV 172—173.

Librarii autem, ut saepe, male dirimebant litteras, itaque primo pro ταῦτα φημῶν scribebatur ταῦτ' ἀφ' ἡμῶν, tum vero ἀφ' corrigebatur in ὑφ', littera τ simul fortasse mutata in θ. Hoc loco corruptio praepositionis ἀφ' in ὑφ' eo facilior erat, quod a scribis saepius pro litteris aspiratis tenues positas esse constat (cf. Wunder ad O. R. 1228), itaque verbis ταῦτ' (sic) ὑφ' ἡμῶν pro ταῦθ' ὑφ' ἡμῶν offendi non poterant. Rectissime praeterea Bast (Commentatio Palaeographica pg. 794) adnotat dici non posse, quoties $\overset{\pi}{\alpha}$ (ἀπὸ) et $\overset{\pi}{\upsilon}$ (ὑπὸ) confusa sint. Ut unum afferam exemplum, huius fabulae vs. 1131 procul dubio cum Reiskio legendum est μνήμης ἄπο pro μνήμης ὕπο,

quod praebent codices. cf. ἀπὸ γλώσσης, ἀπὸ στόματος. [1])

Vitia inde orta quod male diremebantur litterae, ubique inveniuntur. Sic Ai. 579 pro necessario καὶ δῶμα πάκτου in Laurentiano legitur absurde δῶμ' ἀπάκτου, ibid. 620 iure ex Laurentiani corrupta lectione ἄφιλα παρὰ φίλοις correctum est ἄϕιλα παρ' ἀφίλοις. Pulchrum invenitur exemplum Ai. 1056 ὡς ἔλοι δόρει; ibi enim prior Schol. addidit γράφε ὡς ἐλοιδόρει: alter autem ineptam hanc lectionem explicare non dubitavit: ὡς λοιδορούμενος ἐπηγγείλατο· ταῦτα γὰρ εἶπεν ὁ Αἴας. Non minus corruptum est Schol. El. 635, ubi ridicule legitur ἐπίπαν ὅσπρια pro ἐπεὶ πανόσπρια, quod restituit Corais. O. R. 484 pro δεινὰ μὲν οὖν cum Nauckio omnino reponendum est δεινά με νοῦν, ibid. 570 pro τὸ σόν cum Hermanno τόσον, ut Tr. 53; ibid. 1267 δεινὰ δ' ἦν τἀνθένδ' ὁρᾶν propter voculam δ' suspectum est (Heimsoeth σχέτλι' ἦν, Wecklein δείλαι' ἦν, alii aliter). Fortasse praestat lenissima correctio δ' ἦν (= δὴ ἦν). Memini ridiculum me talis vitii exemplum legere apud Cobet (Brieven). In Eur. Herc. fur. olim edebatur Ἀκανθέων τις εἶπαθ' οἱ καταστένοι: restituit G. Canter ἃ κἂν θεῶν τις, εἰ πάθοι, καταστένοι. Cf. praeterea Aristot. Rhet. I 13. 2, ubi pro corrupto αὐγῆς iam Scaliger acutissime restituit αὖ γῆς. Plura invenias apud Wecklein in libro saepius laudato pg. 18 sqq.

[1]) Inversa ratione Eur. Ion. 58 Badham, probatus ab Herwerdeno, pro tradito ὕπο coniecit ἄπο.

Eundem sensum, quam mea restitui coniectura, nunc etiam Wecklein requirit: proposuit enim (Jahrbüch. für Class. Phil. 1892 pg. 234) καὶ ταῦτα μάντεων. Quod autem dicit vir doct. μάντεων fortasse scriptum fuisse μ̄ω̄ν, exemplis est confirmandum; mihi quidem talis abbreviatio ignota est: videant peritiores.

Ad vs. 54:

ὡς εἴ περ ἄρξεις τῆσδε γῆς, ὥσπερ κρατεῖς κτέ.

Ut hoc loco ἄρξεις et κρατεῖς variantur, ita praeter locos, citatos a Nauckio, apud Sophoclem sibi respondent: λέγεις — φής (Ant. 403), βροτοί — θνητογενεῖς (ibid. 815), φίλη — προσφιλής (ibid. 898), κέλευθον — ὁδῶν (ibid. 1213), κρατεῖν — ἄρξομεν (Ai. 1067), ἀνάσσων — κρατῶν (ibid. 1102), φλαῦρα — κακά (ibid. 1323) ἴδω — εἰσίδω (El. 267—268), κατὰ στέγας — ἐν οἴκοις (ibid. 1308 cf. O. R. 637), σαφής — ἐμφανής (O. C. 1501), ἀπ' οἴκων — ἐν δόμοις (Trach. 156), εἴσω στέγης — ἐκτὸς αὐλῆς (ibid. 202—203), ἔλεξεν — φωνεῖ (ibid. 346), φανερός — ἐμφανῶς (ibid. 608), ἐπαξίως — ἀξίως (O. R. 133), ἐμέμψω — ψέγεις (ibid. 337—338), ἔσχετε — παρέσχομεν (ibid. 566—567: praetulerim tamen κάρτ' ἔσχομεν), προὔλεγον — ἡὕδας (ibid. 973—974), οὐ χρῆν — οὐκ ἔδει (ibid. 1185), ἐφύσαθ' — φυτεύσαντες (ibid. 1404).

Neque hic dicendi usus alienus est ab Euripide, quippe qui scribat (Hecub. 982) φίλη μὲν εἶ σύ, προσ-

φιλὲς δέ μοι τόδε / στράτευμ' Ἀχαιῶν cf. Troad. 829, Hel. 513, 1639, Phoen. 568, Andr. 385, Lys. XXIV, 15 ἐγχωρεῖ — οὐ προσήκει ibid. 18 ἐγχωρεῖ — οὐκ ἔστιν, VII, 26 περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι — περὶ οὐδενὸς ἡγοῦμαι. Demosth. XIX 318 εἰ δὲ μὴ προσδέχοιτο, ὥσπερ οὐ προσίετο. Similiter autem orationem variant alii bene multi.

Ad vs. 82:

ἀλλ' εἰκάσαι μέν, ἡδύς· οὐ γὰρ ἂν κάρα κτἑ.

ἡδύς hoc loco significat ἡδόμενος, laetus, neque, ut Hermann putat „gratus, sive acceptus", neque, ut male interpretatur Jebb „pleasant to us."

Conferantur huius dramatis vs. 17 οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς i. e. βαρυνόμενοι, vs. 673 στυγνὸς μὲν εἴκων δῆλος εἶ, βαρὺς δ' ὅταν / θυμοῦ περάσῃς, ubi v. Herwerden iure στυγνός explicat per μισῶν. Cum participio βαρύς coniungitur Trach. 235 θάλλοντα κοὐ νόσῳ βαρύν.

O. C. 875 legitur χρόνῳ βαρύς, Ai. 1017 ἐν γήρᾳ βαρύς, quod optime explicatur ἐν γήρᾳ ὢν καὶ ὑπ' αὐτοῦ βαρυνόμενος cf. O. R. 1112.

Postremo observandus est locus e Trach. (869):

ξύνες δὲ
τήνδ' ὡς ἀήθης καὶ συνωφρυωμένη
χωρεῖ πρὸς ἡμᾶς γραῖα σημανοῦσά τι.

Pro ἀήθης Blaydes speciosa, sed fortasse iusto violentiore coniectura reposuit κατηφής, quod accepit Nauck.

Lenius vero Astius edit. Lond. anni 1722 secutus tentavit ἀηδής, i. e. οὐχ ἡδομένη. Neque κατηφής, neque ἀηδής usquam apud Sophoclem legitur, adverbium vero ἀηδῶς saepissime invenitur in scholiis e. g. O. R. 673, O. C. 1687, Trach. 250. Pro correctione ἀηδής fortiter militat cum locus, quem nunc tractamus, tum lenitas mutationis.

Ad vs. 92:

εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησιαζόντων κλύειν,
ἕτοιμος εἰπεῖν, εἴτε καὶ στείχειν ἔσω.

Vulgata explicari potest; contorta tamen Nauckii est explicatio, qui contendit verba εἴτε — ἔσω significare εἴτε χρῄζεις, καὶ στείχειν ἔσω ἕτοιμός εἰμι.

Ecquid Sophocles pro καί scripsit χρή? Hac accepta coniectura totum locum sic construo: ἕτοιμός (εἰμι) εἰπεῖν, εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησιαζόντων κλύειν, εἴτε χρὴ στείχειν ἔσω.

De omissione vocabuli εἰμί post ἕτοιμος cf. Ai. 813 χωρεῖν ἕτοιμος, Phoen. 969, Heracl. 502, Demosth. IX, 4 εἰ δ' ἃ συμφέρει χωρὶς κολακείας ἐθελήσετ' ἀκούειν, ἕτοιμος λέγειν. Krüger 62, 1, 5.

Quia tamen confusio inter καί et χρή mihi ignota est, fortasse tutius erit locum hoc modo legere:

εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησιαζόντων κλύειν
ἕτοιμος εἰπεῖν, εἴτε καὶ στείχειν ἔσω .....
(scil. θέλεις)

Tum Oedipus, morae impatiens interrumpit Creontem:

ἐς πάντας αὖδα κτἑ. In tota hac scena animose loquitur rex: identidem brevibus interrogationibus quasi interpellat levirum cf. vss. 99 et 105. Qua de re plura vide apud Schmelzer pg. 19—20.

Vs. 120:

τὸ ποῖον; ἓν γὰρ πόλλ'ἂν ἐξεύροι μαθεῖν,
ἀρχὴν βραχεῖαν εἰ λάβοιμεν ἐλπίδος.

Verba ἐξεύροι μαθεῖν procul dubio corrupta sunt. Wecklein (Ars Soph. em. pg. 52) coniecit ἐκφέροι „ducat", probabilius v. Herwerden Eur. Ion pg. 236 ἐξεύροι μαθών — εἰ λάβοι τις.

Leniore coniectura locum corruptum sanari posse putans proposuerim: ἐξεύροις μαθών, ut dicat Oedipus: πόλλ'ἂν ἐξεύροις ἓν μαθών. Versus sequens ἀρχὴν βραχεῖαν εἰ λάβοιμεν ἐλπίδος explicat ἓν μαθών. Inversa ratione infra (748) legimus: δείξεις δὲ μᾶλλον ἢν ἓν ἐξείπῃς ἔτι.

μαθεῖν, quod praebet codex, in fine versus, ut saepe, est corruptum. Praeterea confusio inter $\overline{\text{ειν}}$ et $\overline{\text{ων}}$ non ita rara est cf. O. R. 1170 οἴμοι, πρὸς αὐτῷ γ'εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν. κἄγωγ' ἀκούειν· ubi L., Par. A et omnes fere codices praebent lectionem ἀκούων. Veram formam ἀκούειν servavit Plut. moral. 522 c et 1093 b. Laur. cum nonnullis apographis, teste Wolffio, supra ἀκούων adscripsit ειν. Primus Brunck summo iure in textum recepit ἀκούειν. Similiter ap. Schol. Ai. 974 pro necessario γνωρίζων legitur γνωρίζειν.

Theogn. 442 vulg. habet ἔχειν, Brunck iure restituit ἔχων, ibid 805 libri θεωρῶν pro θεωρεῖν, quod recte coniecit Hartung.

Etiam conferri potest huius dramatis vs. 360, ubi videas adnotationem meam. His locis fortasse addendus est O. R. vs. 227:

κεἰ μὲν Φοβεῖται, τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν αὐτὸς καθ' αὑτοῦ·

ubi Jebb, cuius adnotationem lector videat, dedit: ὑπεξελεῖν / αὐτὸν καθ' αὑτοῦ. Infin. ὑπεξελεῖν iam coniecerant Halm et Blaydes.

Jebb confert Thuc. IV—83 et Herod. VII—8; quibus adde Soph. fr. 690 ὦ γλῶσσα, σιγήσασα τὸν πολὺν χρόνον / πῶς δῆτα τλήσει πρᾶγμ' ὑπεξελεῖν τόδε; Plura de hoc loco infra dicam. —

Ad vs. 140:

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανών, τάχ' ἂν
κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τ ι μ ω ρ ε ῖ ν θέλοι.

Miror Bruhn τιμωρεῖν explicare per „schädigen, Ubles zufügen," quo sensu hoc verbum nusquam positum invenitur. Quid tamen requiratur, optime perspexit, τιμωρεῖν autem corruptum esse nemo non videt [1])

Violenter, ut solet, F. W. Schmidt coniecit π ό τ' ἐ ν α ί ρ ε ι ν. Bergk, probante Meklero, acute proposuit

---

[1]) Longiorem de hoc loco disputationem vide apud Wunder.

τιμωροῦνθ' ἕλοι. Quam facile enim θ'ἕλοι in θέλοι abire posset, supra ad vs. 37 ostendi: optime comparari potest Schol. Trach. 353 (ταύτης ἕκατι κεῖνος Εὔρυτόν θ'ἕλοι), ubi legitur: θ'ἕλοι· ἕλων εἴη· εἰ δὲ ὑφ'ἓν θέλοι ἄν.

Magis tamen mihi arridet, quod coniecerunt v. Herwerden Ex. Crit. pg. 140 et Axt. Philol. IV, 573 scil. πημαίνειν. Vox enim τιμωρεῖν optime nata esse potest ex vs. 136 τιμωροῦντα (cf. vs. 107); praeterea iam recte observatum est vocabulum πημαίνειν Sophocli in deliciis fuisse.

Sed accedit aliud: omnes sciunt philologi ubique apud Platonem inveniri non solum totos versus, vero etiam vocabula, quae e poetarum philosophus mutuatus est thesauro. In Republ. autem (II—7, c.) haec leguntur: ἐάν τέ τινα ἐχθρὸν πημῆναι ἐθέλῃ, quo loco nescio an Plato de Oedipi versu cogitaverit.

Ad vs. 184:

ἐν δ'ἄλοχοι πολιαί τ' ἔπι ματέρες
ἀκτὰν παρὰ βώμιον ἄλλοθεν ἄλλαι
λυγρῶν πόνων ἱκετῆρες ἐπιστέναχουσιν.

L., teste Dindorfio, habet παραβώμιον.

Apte Nauck restituit ἀχὰν παραβώμιον: vide v. Herwerden de hoc loco disputantem, qui inter alia recte observavit ἀκτάν fortasse repetitum esse ex vs. 177.

Musgrave, comparato Sept. adv. Theb. 97 sqq. bene,

quod quidem ad sensum attinet, restituit ἀϋτὰν παραβώμιον, quam coniecturam recepit Bothe: repugnat tamen metrum. Sed fugisse videtur plerosque criticos Par. B. exhibere lectionem ἀϋτάν, quod non est negligendum: ἀϋτάν enim optime explicatio esse potest vocabuli ἀχάν, glossema autem, ut saepius, in locum verae venit lectionis. —

Attulit Nauck ad coniecturam suam confirmandam Eur. Phoen. 1750 ἀμφιβωμίους λιτάς, compara praeterea Theogn. 779 παιάνων τε χοροῖς ἰαχῇσί τε σὸν περὶ βωμόν.

Eodem modo, quo παραβώμιος, formata sunt προβώμιος (Ion 376 προβωμίοις σφαγαῖσι) et ἐπιβώμιος (Andr. 1024 El. 715).

Ad verba mox sequentia παιὰν δὲ λάμπει illustranda multa exempla ab omnibus interpretibus sunt laudata, quibus adde Verg. Aen. II, 301: clarescunt sonitus (clara vox), ibid. VIII, 528—529 arma — vident — tonare. cf. σκότος βλέπειν, φωνὴν ὁρᾶν.

Ad vs. 221:

ἴχνευον αὐτό, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.

Sine causa Schneidewin, quem multi secuti sunt, ex apographis nonnullis restituit lectionem αὐτός, simul deleto vocabulo μή. Praeter enim Laurentianum etiam Par. B. tuetur vulgatam, de cuius codicis fide comparetur Kaibel in praefatione ad Sophoclis Electram: ibi

enim vir doct. ostendit non solum Laurentianum sed etiam Parisinum, ad quem saepe est emendatus L., magni esse momenti in textu restituendo. Plura de codicibus vide apud Bruhn pg. 220 sqq.

Ad vs. 227:

κεἰ μὲν Φοβεῖται τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν
αὐτὸς καθ' αὑτοῦ πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν
ἀστεργὲς οὐδέν, γῆς δ' ἄπεισιν ἀσφαλής.

Omnes coniecturas, quibus hic locus vexatus est, enumerare supersedeo. Vide Jebb.

Quid vero hoc loco significat ὑπεξελών?

Demosth. XIX, 78 legimus ὡς ἄρ' ὑμεῖς τῶν ἰδίων τι κτημάτων ὑπεξαιρούμενοι κτἑ, ubi ὑπεξαιρεῖσθαι explicari potest „clam intervertere, subducere" cf. El. 1420 παλίρρυτον γὰρ αἷμ' ὑπεξαιροῦσι τῶν / κτανόντων οἱ πάλαι θανόντες.

Paullo alio sensu accepit verbum ὑπεξαιρεῖν Kennedy, qui vertit „having suppressed". Fugit fortasse virum doctum hanc significationem pulchre confirmari loco e scholiis: Schol. scil. El. 975 haec habet τίς γάρ ποτ' ἀστῶν· ὅρα ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ τὰς ἐπιχειρήσεις τῆς Ἠλέκτρας ὅτι πάντα τέθεικεν τὰ ἀγαθὰ ἅπερ αὐταῖς παρέσται ἀνελούσαις τὸν Αἴγισθον, τὰ δ' ἕτερα ὑπεξήρηκεν· ὁποῖα πείσονται ἁλοῦσαι· et infra: ἀλλ' ἤδει τὸ περίφοβον τῆς Χρυσοθέμιδος ὥστε ἑκοῦσα τοὺς δειλοτέρους τῶν λόγων ὑπεξεῖλεν κτἑ. Si

tamen ὑπεξελεῖν accipimus significatione „supprimere", minus apte cohaerere videntur vocabula sequentia αὐτὸς καθ'αὑτοῦ, et praeterea pro part. aor. ὑπεξελών exspectaremus part. praes.

Itaque tutissimum fortasse erit ὑπεξαιρεῖν cum plerisque editoribus explicare „die (Selbst)anklage (aus seinem Innern) hervorholen" cf. Soph. fr. 690, quod iam alibi laudavi, ὦ γλῶσσα σιγήσασα τὸν πολὺν χρόνον, / πῶς δῆτα τλήσῃ πρᾶγμ' ὑπεξελεῖν τόδε; Athen. I pg. 33 c. praebet lectionem ὑπεξελθεῖν, quod tamen non est urgendum, neque cum Brunckio mutandum in ἐπεξελθεῖν: similiter enim hoc quoque loco in uno codice pro ὑπεξελών legitur ὑπεξελθών „a mere slip".

Post 227 autem versus excidisse videtur hac fere forma: ἀστοῖσι πᾶσι — υ — ἐπεξίτω, totusque locus hoc modo restituendus erit:

227 κεἰ μὲν φοβεῖται, τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν

227 a [ἀστοῖσι πᾶσι (dat. comm.) — υ — ἐπεξίτω] [1])

αὐτὸς καθ'αὑτοῦ· πείσεται γὰρ ἄλλο μὲν

ἀστεργὲς οὐδέν, γῆς δ'ἄπεισιν ἀσφαλής.

i. e.: Si timidus est, omnium civium gratia accusationem proferens ipse in se invehat." cett.

---

[1]) Num tamen vocabulum ἐπεξίτω recte se habeat, dubito. Graecum enim est ἐπεξίτω αὐτὸς ἑαυτῷ, ut iure observavit v. Herwerden in adnotatione ad h. l., ubi de Hartungii agit coniectura.

Quam facile vs. 227 a excidere potuerit, optime perspicimus, si recordamur sexcenties confundi ἀστός et αὐτός (cf. e. g. Nauck Mél. Gr.—R. III 309—314), itaque librariorum oculos fortasse ab ἀστοῖσι aberravisse ad αὐτός.

Docte de tota hac scena disputavit Schütz Soph. Stud. pg. 78 sqq.

Ad vs. 232:

κέρδος τελῶ ἐγὼ χἠ χάρις προσκείσεται.

L. supra litt. ρ vocabuli χάρις exhibet litteram ν a m. pr., unde suspicari potest Sophoclem dedisse χάριν. Hanc ob causam Nauck coniecit καὶ χάριν προσείσομαι; magis tamen mihi arridet, quod proposuit Halbertsma (Advers. Crit. ed. v. Herwerden Leidae ap. Brill, pg. 24) καὶ χάριν προσκτήσεται, quae coniectura cum lenior est, tum confirmatur Trach. vs. 191:

ὅπως τοι πρῶτος ἀγγείλας τάδε
πρὸς σοῦ τι κερδάναιμι καὶ κτώμην χάριν,

et eiusdem fabulae vs. 471 κἀπ' ἐμοῦ κτήσῃ χάριν. De sententia cf. O. R. 1006.

Ad vs. 240.

μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν
κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβος νέμειν.

Manus prima in Laur. habet χέρνιβος, ab alia manu

mutatum in χέρνιβας, quod omnes fere codices recentiores praebent. v. Herwerden, Nauck, Wunder, Elmsley, Hermann, Musgrave, Bothe, Schmelzer, Dindorf omnes χέρνιβας praetulerunt; melius Wolff, Jebb et Bruhn in textum receperunt χέρνιβος. Recte enim adnotat v. Herwerden fortasse non iniuria retinuisse Bergk primae manus scripturam χέρνιβος, „quae potest esse genetivus partitivus, ut νέμειν χέρνιβος ad verbum significet tribuere (partem) aquae lustralis." Collegit vir doct. exempla, ubi χέρνιψ singulari numero invenitur, quibus adde Demosth. adv. Lept. 158 χέρνιβος εἴργεσθαι τὸν ἀνδροφόνον, σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς, quo loco optimus codex non, ut vulgo editur χερνίβων, sed, teste quidem Jebbio, praebet χερνίβος.

Equidem comparaverim Aesch. Suppl. 232 (Wecklein) ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἀγνεύοι φαγών; quem locum iniuria tentant Burges legens θιγών, et Hartung, qui proposuit ὄρνιν γὰρ ὄρνις, et Paley, qui sine causa eiecto vs. 232 legit πῶς γὰρ γαμῶν. Vide Weckleinii optimam adnotationem.

Antehac suspicabar lectionem ὄρνιθος confirmari Diogen. Laert. vit. Pyth. VIII, 24 τῶν δὲ κυάμων ἀπηγόρευεν ἔδεσθαι, nunc tamen quin ea verba depravata sint nullus dubito; absurdum enim est futurum ἔδεσθαι pro ἐσθίειν. Arridet, quod Cobet (Brieven pg. 283) e Suida pro verbis corruptis restituit τῶν δὲ κυάμων — ἀπέχεσθαι. Bis enim eandem locutionem inveni apud Iambli-

chum „De Vita Pythagorica" (ed. Nauck.) scil. pg. 42, 8 παραστὰς συνεβούλευσεν εἰπεῖν τῷ βοῒ τῶν κυάμων ἀπέχεσθαι et pg. 80, 7 καὶ κυάμων ἀπέχεσθαι διὰ πολλὰς — αἰτίας.

Tales vero genetivi recte explicantur omissione vocabuli, quale est μέρος cf. Eur. Med. 284 ξυμβάλλεται δὲ πολλὰ τοῦδε δείματος, ubi recte C. Kuiper interpretatur, „vele omstandigheden voegen aan die vrees iets toe, dragen er een deel van." Additur μέρος Lys. XXX, 16: τοῦ μὲν γὰρ ὑμᾶς φυγεῖν μέρος τι καὶ οὗτος συνέβαλετο (Kuiper). cf. Aristot. 1458 b, 1 οὐκ ἐλάχιστον δὲ μέρος συμβάλλεται εἰς τὸ σαφὲς τῆς λέξεως κτἑ, O. R. 294.

Plura exempla genetivi, quem dicunt partitivum, vide apud Wolff ad O. R. 709, qui locus similiter est explicandus. Legitur enim: καὶ μάθ' οὕνεκ' ἐστί σοι βρότειον οὐδὲν μαντικῆς ἔχον τέχνης, ubi τέχνης recte se habet. Non enim facio cum Hermanno, qui hunc locum in suspicionem vocat, quod μαντικὴ τέχνη non copiae alicuius notionem continet, cf. Plat. Phaedr. 244 e ἡ μανία ἡ ἐκ θεοῦ γιγνομένη ἐξάντη ποιεῖ τὸν ἑαυτῆς ἔχοντα

Alter locus ubi ἔχειν cum nudo iungitur genetivo, Lysistr. scil. 173 σπουδᾶς ἔχοντι, procul dubio graviter est corruptus.

Paucis autem placebit, quod sine necessitate nuperrime coniecit Bruhn: τέκμαρ pro τέχνης. Minus recte Schol. minor locum laudatum explicat: ὅτι οὐδὲν βρότειόν

ἐστί σοι μαντικῆς ἐχόμενον τέχνης, ἤγουν ἁπτόμενον, quamquam notum est ἔχε saepius significare ἔχου, ἅπτου, „pak aan". In talibus tamen locis ἔχε = ἔχου ut παῦε saepius est παύου (semper e. g. apud Aristophanem, si bene memini).

Mox (267) sequuntur: κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ' — κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον· de repetitione τὸν δεδρακότ' — νιν egregie disputavit Lindner in libro, qui inscribitur „Cothurnus Sophocleus" § 68: „De geminatione notionum ac verborum quorundam."

Ad vs. 287:

ἀλλ' οὐκ ἐν ἀργοῖς οὐδὲ τοῦτ' ἐπραξάμην

M. Schmidt iusto violentius coniecit εἰάσαμεν; non magis placet Wecklinii propositio ἐταξάμην. Meineke, leniore adhibita correctione, veram lectionem restituit legendo ἐπράξαμεν, iure adnotans in hoc versu verbo medio locum non esse. De enallage 1 p. p. et 1 p. s. vide, quae adnotavi ad vs. 62—64 (Append.).

Eodem modo Ai. 1045 Μενέλαος, ᾧ δὴ τόνδε πλοῦν ἐστείλαμεν, in L. a. pr. m. scriptum est ἐστειλάμην, vid. v. Leeuwen Comment. pg. 154. Similiter corruptum duco Ai. vs. 45, ubi Minerva dicit:

κἂν ἐξεπράξατ', εἰ κατημέλησ' ἐγώ.

Ibi enim forma media ἐξεπράξατ' repugnat constanti verbi ἐκπράττειν usui apud Sophoclem, qui semper forma

activa est usus. (cf. O. R. 377; O. C. 941, 1307, 1659; Ant. 303; Trach. 667). Lobeck pro ἐξεπράξατ' legit ἐξέπραξεν, quod, teste Blaydesio, sec. man. rec. scripsit, Blaydes autem praefert ἐξέπραξέ γ'. Lenius conicere possis scripsisse poetam κἂν ἐξέπραξ' ἄν, εἰ κατημέλησ' ἐγώ. Particula ἄν bis, immo ter (cf. Soph. fr. 669 πῶς ἄν οὐκ ἄν ἐν δίκῃ θάνοιμ' ἄν) repetita saepius apud Sophoclem invenitur, de qua re vide Ellendt. In hac fabula exempla reperiri possunt vs. 139, 261, 339, 446, 772—773, 862, 1227, 1438 cf. praeterea El. 439—441; O. C. 1110—1111; Ant. 69—70, 466—468; Eur. Andr. 934—935; Med. 368; Arist. Thesm. 440, 526; Krüger II 69, 8, 3.

Hic dicendi modus hoc loco librarios fugit, itaque ἐξέπρᾱξ' ἄν abiit in ἐξεπράξατ'.

Ad vs. 297:

ἀλλ' οὐξελέγξων αὐτὸν ἔστιν·

A. οὐξελέγξων L. οὐξελλέγξων, altero λ eraso a. m. pr.; super γ scripsit ξ L^{a}.

Γ οὐξελέγχων. Praesenti, quod iniuria praetulit Hermann, locus non est. Exempla huius constructionis praebuerunt interpretes; quibus adde Thuc. III, 83, 2 οὐ γὰρ ἦν ὁ διαλύσων οὔτε λόγος ἐχυρὸς οὔτε ὅρκος φοβερός, κτἑ.

Ad vs. 317:

φεῦ φεῦ, φρονεῖν ὡς δεινὸν ἔνθα μὴ τέλη

λύῃ Φρονοῦντι. ταῦτα γὰρ καλῶς ἐγὼ
εἰδὼς διώλεσ᾽· οὐ γὰρ ἂν δεῦρ᾽ ἱκόμην.

διώλεσ᾽ h. l. significat ἐπελαθόμην, ut σῴζειν „memoria tenere" (O. C. 1530), quod apte affert Nauck. Molestum est vocabulum γὰρ vs. 317, quod explicare non possum: clarius Sophocles dixisset πέρ = καίπερ ut verba Tiresiae vertenda sint: quamquam id bene noveram, tamen oblitus sum. Hunc sensum requiri optime patet ex versionibus: v. Herwerden: wel wist ik dat en toch / vergat ik 't. Jebb locum sic explicat: though I once knew it, I had (?) forgotten it. Keyser: Detta nog jag vetat väl, / Men glömt det. Iure postremo iam Wunder διώλεσ᾽ vertit: tamen oblitus sum. Prius γὰρ ex sequenti (vs. 118) nasci potuit.

πέρ significans καίπερ apud Sophoclem e. g. invenitur Philoct. 1068: χώρει σύ· μὴ πρόσλευσσε, γενναῖός περ ὤν.

At, dicat aliquis, πέρ ponitur post verbum, ad quod pertinet. Concedo: plurimis enim locis vocabulo πέρ ita utuntur Graeci; πέρ tamen etiam apud Aeschylum collocatur post οὐδέ, ubi referendum est ad participium, quod sequitur, vid. Choeph. 504 οὕτω γὰρ οὐ τέθνηκας, οὐδέ περ θανών.

Suppl. 399 εἶπον δὲ καὶ πρὶν, οὐκ ἄνευ δήμου τάδε πράξαιμ᾽ ἄν, οὐδέ περ κρατῶν.

Cf. praeterea Arist. Ach. 224: μηδέ περ γέροντας ὄντας ἐκφυγὼν Ἀχαρνέας.

Nunc video hanc coniecturam iam in thesibus post dissertationem Academicam posuisse vir. doct. I. F. P. v. Anrooy (Quaestiones de Epithetorum Usu apud Aeschylum et Euripidem pg. 108).

Fortasse non inutile erit aliud huius confusionis exemplum, quod acute perspexit Herbst, adnotare Thuc. scil. I—69, 2: οἱ γὰρ δρῶντες, [βεβουλευμένοι πρὸς οὐ διεγνωκότας] ἤδη, καὶ οὐ μέλλοντες ἐπέρχονται. Verba inter cancellos posita seclusit v. Herwerden, qui praeterea scripsit οἵ. Neque Rauchensteinii coniectura audacior ἐκεῖνοι, neque Classenii propositio οἵ γε ab omni parte satisfacit. Verum vidit Herbst restituendo οἵ περ.

Köstlin, nuperrime probatus ab Herwerdeno in Mnemos., transposuit: οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι βεβουλευμένοι πρὸς διεγνωκότας ἤδη δρῶντες ἤδη καὶ οὐ μέλλοντες ἐπέρχονται, καὶ ἐπιστάμεθα οἵᾳ ὁδῷ καὶ ὅτι κατ' ὀλίγον χωροῦσιν ἐπὶ τοὺς πέλας, quam transpositionem parum mihi placere confiteor: sed videant doctiores.

Ad vss. 328—329:

ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

Vs. 329 iniuria tentatur a criticis (Nauck ἄνωγας εἴπω, Campbell εἴπω τάδ', ὡς ἂν μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά, Nake Rhein. Mus. XXXX pg. 145 ingeniose σκφῶς ἀνείπω,

alii alia). Sed nihil mutandum, verbis tantum hoc modo virgulis distinctis:

ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε

τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ', ἐκφήνω κακά, ut iungatur οὐ μή ποτε ἐκφήνω τἀμὰ κακά, ὡς ἂν μὴ εἴπω τὰ σὰ κακά.

Vocabulum κακά autem duplici sensu est accipiendum: τἀμὰ κακά enim significat, ut iure observavit Lindner, „mala mea vaticinia", τὰ σὰ κακά vero „mala tua facinora". Itaque dicit Tiresias: numquam mala eloquar vaticinia mea, ne hoc faciens tua mala facinora patefaciam: sic omnia recte se habent. Bene iam Schol. adnotavit οὐκ ἐκφανῶ (sic nescio an recte Papageorgius pro ἐμφανῶ) τὰ ἐμὰ ἔπη (i. e. vaticinia) ἵνα μὴ τὰ σὰ εἴπω κακά. Melius Schol. recentior οὐ μή ποτε εἴπω τὴν ἐμὴν μαντείαν, ὡς ἂν μὴ φανερὰ ποιήσω τὰ σὰ κακά. cf. Hermann qui recte de hoc loco iudicavit.

Saepe enim apud Sophoclem unum vocabulum dupliciter est explanandum et optime talis ambiguitas obscurae vatis dictioni est accommodata.

Cf. O. R. 249—250 οὐδ' εἰ γὰρ ἦν τὸ πρᾶγμα μὴ θεήλατον, ἀκάθαρτον ὑμᾶς εἰκὸς ἦν οὕτως ἔτι, ubi optime observavit Wunder τὸ πρᾶγμα, iunctum cum voce θεήλατον „investigationem caedis", relatum vero ad ἀκάθαρτον ἔτι „ipsam caedem" significare. Sic iam Pindarus (Ol. I — 91) haec habet ἕλεν δ' Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον· Eodem modo apud Homerum, omnium poetarum magistrum,

invenitur (Il. XI, 328) ἔνθ' ἑλέτην δίφρον τε καὶ ἀνέρε δήμου ἀρίστω, ubi aliud est ἑλέτην relatum ad δίφρον, aliud coniunctum cum verbis ἀνέρε δήμου ἀρίστω.

Ne quis miretur τὰ σ' elidi, quamvis cum emphasi dictum, comparet Phil. 339 οἶμαι μὲν ἀρκεῖν σοί γε καὶ τὰ σ', ὦ τάλας, El. 1499 τὰ γοῦν σ', O. R. 405, 919, Eur. Troad. 918; El. 273, Hippol. 323.

Verba ὡς ἂν εἴπω μή insolentius coniuncta (= ὡς ἂν μὴ εἴπω) offensioni esse non possunt cf. El. 792 τοῦ θανόντος ἀρτίως, Ai. 625 ὁ νοσῶν μάταν, Aeschyl. Prom. 1012 (Weckl.) τῷ φρονοῦντι μὴ καλῶς, Eur. Med. 874 τοῖσι βουλεύουσιν εὖ. O. R. 137 ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀπωτέρω φίλων, ubi tamen vocabula ambiguitatis causa consulto sic a poeta sunt ordinata, ibid. 269 ἐκεῖνον ὁ κτανών, ad quem locum plura congessit exempla Bruhn.

Ad vs. 360:

οὐχὶ ξυνῆκας πρόσθεν; ἢ 'κπειρᾷ λέγειν;

Locus conclamatus; paucas enumerabo coniecturas: Hartung ἢ πειρᾷ λέγων, Campbell ἢ 'κπειρᾷ λόγῳ, Wecklein et Bellermann ἢ 'κπειρᾷ λόγων, Blaydes οὐχὶ ξυνῆκας; πρὸς τί μου 'κπειρᾷ λέγειν, Mekler ἢ πέτρᾳ 'λέγον, F. W. Schmidt ἢ ἑτέρᾳ λέγω; Madvig postremo (Advers. Crit. I, 210) speciose ἢ ἐκ πείρας λέγεις; „an tentandi mei causa dicis?"

Haec coniecturarum moles satis ostendit locum esse corruptum; fortasse tamen satisfacit restituere λέγων,

quam lectionem etiam praetulerunt Jebb, quem vide et Bothe. Papageorgius, eundem desiderans sensum, proposuit ἢ ἐκπειρᾷ λόγοις; Hoc loco Sophocles in memoriam revocat Hom. Il. II — 73 (verba sunt Agamemnonis) πρῶτα δ'ἐγὼ Fέπεσιν πειρήσομαι (scil. Achaeos.). In responso Oedipus alteram praetermittit percontationem.

Comparari possunt Phil. 55, ubi Ulixes Neoptolemum ita adloquitur:

τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖ

ψυχὴν ὅπως λόγοισιν (v. Herw. δόλοισιν) ἐκκλέψεις λέγων.

O. R. 790 προὔφηνεν λέγων, Ai. 757 ἔφη λέγων, Ant. 280 μεστῶσαι λέγων, O. C. 1203—1204 νικᾶτε — λέγοντες. In omnibus his locis participium λέγων vel λέγοντες idem significat, quod λόγοις. Vid. praeterea Antiph. II γ, 1. πειράσομεθα ἐλέγχοντες. Itaque hic Tiresias dicit: an tentas me verbis tuis?

Postremo notandum est participia et infinitivos saepissime confundi; Brunck autem ad h. l. observat: „in hoc cod. (D) legisse videtur λέγων nescio quis olim, qui margini adscripsit: an λέγειν."

Ad vs. 373:

οὐδεὶς ὃς οὐχὶ τῶνδ' ὀνειδιεῖ τάχα.

Praeter locos, iam citatos ab interpretibus, apte comparaveris Xen. Hell. V — 1, 3: ἡνίκα γὰρ ἐπὶ θάλατταν κατέβαινεν ἐπ' οἶκου ὁρμώμενος, οὐδεὶς ἐκεῖνον τῶν στρατιωτῶν ὃς οὐκ ἐδεξιώσατο κτέ.

Mox sequuntur verba Tiresiae (vs. 377):

οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ'ἐμοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ
ἱκανὸς Ἀπόλλων, ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει.

Conferantur Herc. fur. 1338—1339: Θεοὶ δ'ὅταν τιμῶσιν, οὐδὲν δεῖ φίλων· / ἄλις γὰρ ὁ Θεὸς ὠφελῶν, ὅταν θέλῃ, quos versus damnavit Nauck, et Orest. 667—668:

ὅταν δ'ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων;
ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ Θεὸς ὠφελεῖν θέλων.

Ad. vs. 389

ὑφεὶς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον,
δόλιον ἀγύρτην, ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν
μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός.

Nauck in appendice adnotat: „doch wohl ἄκρον δέδορκε vgl. μάντις ἄκρος El. 1499". Addere potuisset Aesch. Ag. 633 (Weckl.) ἔκυρσας ὥστε τοξότης ἄκρος σκοποῦ, ibid. 1122 θεσφάτκν γνώμων ἄκρος. Concedo Nauckio vocabulum μόνον, quod languet, corruptum videri, neque ineptum praebere sensum coniecturam ἄκρον vel εὖ μέν, ut proposuit Schmidt pg. 159.

Mihi tamen alia eademque lenior coniectura venit in mentem scil. μόνος, μόνος autem acceptum velim significatione „bij uitstek" (cf. καθ' ὑπερβολάν O. R. 1195). De hac re vide Cobet (Brieven) pg. 186, 188, imprimis autem O. C. 261 (verba sunt Oedipi).

εἰ τάς γ' Ἀθήνας φασὶ θεοσεβεστάτας

εἶναι, μόνας δὲ τὸν κακούμενον ξένον
σῴζειν οἵας τε καὶ μόνας ἀρκεῖν ἔχειν;

Ibi enim Oedipus non dicit nullam praeter Athenas urbem miserum hospitem servare posse, neque μόνας vertendum est per „solas", sed, ut recte interpretatur Nauck „vor allen". O. R. 299 legimus ἀνθρώπων μόνῳ, ad quae verba recte adnotat Bothe: i. e. illi imprimis, ut passim valent μόνος, οἷος, unus.

Etiam prosaici scriptores hunc loquendi usum noverunt, ut Xen. Anab. II, 6, 24, ubi de Menone dicitur τὰ δὲ τῶν φίλων μόνος ᾤετο εἰδέναι ῥᾷστον ὂν ἀφύλακτα λαμβάνειν, Thuc. II—40, 2 μόνοι γὰρ τόν τε μηδὲν τῶνδε μετέχοντα οὐκ ἀπράγμονα, ἀλλ' ἀχρεῖον νομίζομεν, ibid. I—70, 15. Non dubito, quin apud Thucydidem plurima exempla inveniri possint.

Cum genetivo coniungitur Isocr. XIV, 57 ὀφείλετε δὲ μόνος τῶν Ἑλλήνων τοῦτον τὸν ἔρανον, ubi Jebb μόνοι recte vertit per „unice" (though others owe it also).

Sic saepe iunguntur μόνος καὶ πρῶτος, cuius rei exempla ubique inveniuntur: vide v. c. [Lys.] II—18 πρῶτοι δὲ καὶ μόνοι ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐκβαλόντες τὰς παρὰ σφίσιν αὐτοῖς δυναστείας δημοκρατίαν κατεστήσαντο κτἑ, Demosth. XIX—302 καὶ μόνος καὶ πρῶτος ἰδὼν ὅτι κοινὸς ἐκεῖνος ἐχθρός ἐστιν ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων, ἠτιμόλησε κτἑ. [1])

[1]) Qualem dicendi usum ridet Lucianus in vita Demonactis 29, scribens: Ἀγαθοκλέους δὲ τοῦ Περιπατητικοῦ μέγα φρονοῦντος ὅτι μόνος

Vide num idem vocabulum μόνος restituendum sit Chaer. 21 χρόνος δίκαιον ἄνδρα μηνύει πότε. cf. O. R. 614 χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος, Pind. Ol. X 53 sqq. ὁ τ' ἐξελέγχων μόνος | ἀλάθειαν ἐτήτυμον | Χρόνος. De sententia vid. v. Herwerden ad O. R. 614.

Eodem sensu, quo μόνος saepe adhibent Graeci, Verg. (Aen. XI—821) utitur vocabulo s o l u s:

fida ante alias quae s o l a Camillae, quicum partiri curas, ibid. IV. 421.

Ad vs. 403:

εἰ δὲ μὴ 'δόκεις γέρων

εἶναι, παθὼν ἔγνως ἂν οἷά περ Φρονεῖς.

Pessime Nauck construit παθὼν τοιαῦτα οἷά περ Φρονεῖς, quam explicationem repetivit Bruhn. Similiter Keyser, in omnium quas legi dissertationum pessima. Non enim dividi possunt παθὼν ἔγνως ἄν, quae verba in mentem revocant παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω (Hom. Il. XVII, 32), ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω, Ag. 262 Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦ | σιν μαθεῖν ἐπιρρέπει· Antig. 926 παθόντες ὃν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες, Trach. 143 μήτ' ἐκμάθοις παθοῦσα, El. 383—384 κοὔ με μή ποθ' ὕστερον | παθοῦσα μέμψῃ, Schol. ad. El. 1056. Vide praeterea locum pulcherrimum Ag. 187 (Weckl.) τὸν Φρονεῖν βροτοὺς ὁδώ | σαντα, τὸν πάθει μάθος |

αὐτός ἐστι καὶ πρῶτος τῶν διαλεκτικῶν, ἔφη, Καὶ μήν, ὦ Ἀγαθόκλεις, εἰ μὲν πρῶτος, οὐ μόνος, εἰ δὲ μόνος, οὐ πρῶτος.

θέντα κυρίως ἔχειν et locos, quos in nota ad h. v. citat editor nuperrimus, quibus addantur Aeschyl. fr. 282 δράσαντι γὰρ τοι καὶ παθεῖν ὀφείλεται cum adnotatione Dindorfii, Ag. 1528 ἄξια δράσας ἄξια πάσχων, Archil. fr. 65, Soph. fr. 18, 210, Eur. Or. 413.

Itaque verba οἷά περ φρονεῖς a παθών pendere nequeunt. Equidem correctione lenissima loco corrupto mederi velim legendo οἷ' ὑπερφρονεῖς i. e. cum dolore tuo sentires (quam magna sint) quae contemnas, auctoritatem scil. et dignitatem Oedipi, regis potentissimi.

Vox ὑπέρφρων invenitur Ai. 1236 ποίου κέκραγας ἀνδρὸς ὧδ' ὑπέρφρονα.

Pueris praeterea est notum verba, vulgo iuncta cum genetivo, saepissime coniungi cum accusativo neutrius generis, imprimis pronominum et adiectivorum e. g. Soph. Phil. 509 οἷα — τύχοι (v. Herw. O. R. pg. 157 λάχοι), O. C. 1106 ἃ τεύξῃ, Ant. 546 ἃ μὴ ἔθιγες, Aesch. Choeph. 710 (Weckl.) κυρούντων — τὰ πρόσφορα, Eur. Phoen. 1666 τύχοις τάδε.

ὑπερφρονεῖν tamen significatione „superbe despicere, contemnere" saepius regit accusativum cf. Aeschyl. Pers. 825 ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαιμόνα, Eur. fr. 549 ἡ δὲ μὴ σώφρων ἀνοίᾳ τὸν ξυνόνθ' ὑπερφρονεῖ, et festivissimum locum apud Aristophanem (Nub. 226) ἔπειτ' ἀπὸ ταρροῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς; Exempla verbi ὑπερφρονεῖν iuncti cum accusativo etiam inveniuntur apud Thuc. (III — 39, 5) πέφυκε

γὰρ καὶ ἄλλως ἄνθρωπος τὸ μὲν θεραπεῦον ὑπερφρονεῖν, τὸ δὲ μὴ ὑπεῖκον θαυμάζειν et (VI — 68, 2) οἱ ὑπερφρονοῦσι μὲν ἡμᾶς, ὑπομενοῦσι δ'οὔ.

Eodem modo corruptus est Arist. Equit. vs. 727: ἔξελθ', ἵν' εἰδῇς, οἷάπερ ὑβρίζομαι, ubi certa emendatione Elmsley restituit οἷα περιυβρίζομαι, quam coniecturam in textum recepit Kock. [1])

Ad vs. 415:

ἆρ' οἶσθ' ἀφ' ὧν εἶ; καὶ λέληθας ἐχθρὸς ὢν
τοῖς σοῖσιν αὐτοῦ νέρθε κἀπὶ γῆς ἄνω.

καί, quod frustra Nauck, secutus Elmsley, tueri conatur adnotans „καὶ λέληθας, weil in der Frage ἆρ' οἶσθ' ἀφ' ὧν εἶ; der Sinn liegt οὐκ οἶσθα", mihi suspectum est. Bothe legit κοὐ λέληθας, quod καί „nullam vim habet." Lenissima correctione me veram lectionem restituturum esse opinor legendo ὡς (vel potius χὡς) pro καί.

ὡς et καί saepissime confundi vel pueri norunt, vid. de ea re Bast (Comment. Palaeograph. pg. 717, 781, 816).

Exemplis huius confusionis, quae ubique inveniri possunt, hoc addiderim: Thuc. (V, 15, 1) narrat cum Lacedaemonios tum Athenienses bellum diutinum finire et

---

[1]) Per hosce dies perlegens Bambergii dissertationem «De Ravennate et Veneto Aristophanis Codicibus», summa cum voluptate vidi virum doct., ubi de Equitum loco supra laudato agit (pg. 3), obiter in nota eandem coniecturam οἳ' ὑπερφρονεῖς commendavisse.

pace frui cupidos esse. Lacedaemonii vero, pergit historicus, eo magis ad foedus feriendum vergebant ἐπιθυμίᾳ τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐκ τῆς νήσου κομίσασθαι et tum: ἦταν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται αὐτῶν πρῶτοί τε καὶ † ὁμοίως σφίσι † ξυγγενεῖς.

Locus conclamatus; omnes coniecturas h. l. enumerare non libet, vid. Classen, qui post alias citat Rauchensteinii suspicionem, quam in textum recepit Stahl, ὁμοῖοι σφίσι ξυγγενεῖς.

Mihi locus certa emendatione sanari posse videtur: legerim enim π. τ. κ. ὁμοῖοι καὶ σφίσι ξυγγενεῖς. Vitium autem hoc modo est natum: dederat procul dubio Thucydides ὁμοῖοι καί, per haplographiam orta est scriptura ὁμοι και: καί et ὡς confunduntur, in textum irrepsit inexplicabile illud ὁμοίως.

Itaque Thucydides dicit captivos ideo magni aestimari, quod erant principes civitatis, et ὁμοῖοι, et iis, qui domi erant, consanguinei. Fortasse praeterea πρῶτοί τε expungendum est ut glossema insoliti vocabuli ὁμοῖοι. (De ὁμοίοις vid. Gilbert „Handbuch der Griechischen Staatsalterthümer" pag. 42—43, Xen. Hell. III—3, 5; ἡ μικρὰ ἐκκλησία, quae, ut videtur, solis constabat ὁμοίοις commemoratur ibid § 8 cf. Thuc. I—67, 3, ubi legimus ξύλλογον σφῶν αὐτῶν — τὸν εἰωθότα i. e., interprete Herwerdeno, maior contio quae omnibus constabat Spartanis, satis habentibus annorum scil. 30.

Non inutile fortasse erit his correctionibus alia etiam

exempla addere. v. Herwerden nuperrime in Mnemos. ad Thuc. II — 13, 1 τοὺς δ'ἀγροὺς τοὺς ἑαυτοῦ καὶ οἰκίας ἦν ἄρα μὴ δηώσωσιν οἱ πολέμιοι ὥσπερ καὶ τὰ τῶν ἄλλων, ἀφίησιν αὐτὰ δημόσια εἶναι, καὶ μηδεμίαν οἱ ὑποψίαν κατὰ ταῦτα γίγνεσθαι, pro ultimo καί necessariam restituit lectionem ὥστε, ita ut, illo auctore, ex ὥστε sit natum ὡς, ex ὡς vero καί.

Alter locus est IV — 30, 1 καὶ ἀπὸ τούτου πνεύματος ἐπιγενομένου τὸ πόλυ αὐτῆς ἔλαθε κατακαυθέν, ubi idem v. Herwerden, qui olim cum plerisque editoribus in textum receperat, quod proposuit Poppo scil. ἐπεί, nunc verisimilius pro καί coniecit ὡς.

Quondam legens Thucydidem haec adnotavi vocabulorum ὡς et καί confusionis exempla:

I — 70, 7 μόνοι γὰρ ἔχουσί τε ὁμοίως καὶ ἐλπίζουσιν ἃ ἂν ἐπινοήσωσι διὰ τὸ ταχεῖαν τὴν ἐπιχείρησιν ποιεῖσθαι ὧν ἂν γνῶσι. Rectissime hoc loco v. Herwerden exspectat ὁμοῦ: postquam enim post ὁμοῦ librariorum errore siglum pro sequenti καί est repetitum male legebatur ὁμοῦ [ὡς] καί, quod posteriore tempore abiit in ὁμοίως καί.

I — 72, 1. Iure voculam καί expunxit Krüger, natum est ex voce ὡς, quod sequitur.

I — 141, 1. Inversa ratione ante καί omissum est ὡς (haplographia), quod restituit v. Herwerden.

III — 33, 2 εἰ καὶ [ὡς]. Ultimum vocabulum expunxit v. Herwerden, dittographia natum ex καί. Eo facilus

scribae hoc loco errare potuerunt, quod etiam vocalarum *εἰ* et *καί* confusio frequentissima est.

IV — 10, 1. Ante *καί* inseruerunt necessarium *ὡς* v. Herwerden et Stahl.

IV — 51. Pro verbis suspectis *καὶ βεβαιότητα* acutissime Badham, probatus ab Herwerdeno, dedit *ὡς βεβαιότατα*.

IV — 56, 1 *πλήθει τε ἐλάσσους ἕκαστοι ἡγούμενοι εἶναι καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ·* Incerta loci corrupti emendatio est; v. Herwerden, deleta vocula *τε*, tentat *ὡς ἐν τῷ τοιούτῳ* „ut in hoc rerum statu."

IV — 73, 4 Ante *ὡς οὐδὲν ἀΦ' ἑκατέρων ἐπεχειρεῖτο κτἑ* omnino cum Herwerdeno (Stud. pg. 59) delendum vocabulum *καί*.

IV — 85, 6 Num *ὑμᾶς [ὡς] καί* cett.? Cf. Mnem. I pg. 89.

VI — 60, 2 *καὶ ὡς αὐτῶν διὰ τὸ τοιοῦτον ὀργιζομένων πολλοί τε καὶ ἀξιόλογοι ἄνθρωποι ἤδη ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἦσαν καὶ οὐκ ἐν παύλῃ ἐΦαίνετο, ἀλλὰ καθ' ἡμέραν ἐπεδίδοσαν μᾶλλον ἐς τὸ ἀγριώτερον τε καὶ πλείους ἔτι ξυλλαμβάνειν κτἑ*. Pro altero *τε καί* ingeniose Badham, quem secutus est v. Herwerden, coniecit *ὥστε*, quod abiit in *καί τε*; tum transpositione factum est *τε καί*.

VI. — 72, 3. † *ἄλλως τε καί* †. Verba depravata. Hoc loco G. praebet *καί*, reliqui *καί* omiserunt, quae variatio fortasse explicatur vocabulo praegresso *ἄλλως*.

VII — 2, 3 [καὶ] *ξυνταξάμενος ὡς ἐς μάχην*. Voculam *καί*

delet v. Herwerden; fortasse pro ξυνταξάμενος ὡς rescripsit librarius ξυνταξάμενος [καὶ] ὡς, transpositis vero vocabulis ξυνταξάμενος et καί nascebatur lectio καὶ ξυνταξάμενος ὡς.

VIII — 15, 1 ἐκπλήξεως [καί]. Certius exemplum: καί, quod delevit v. Herwerden ortum est ex fine vocabuli praecedentis ἐκπλήξεως.

VIII — 76, 5 ὥστε αὐτοὶ καί A E F G. ὥστε καὶ αὐτοὶ καί M, ubi prius καί natum est ex praegresso ὥστε.

VIII — 87, 3 καὶ γὰρ ὥς αὐτοῖς οὐδὲν ἔμελλε χρήσεσθαι. Arridet Kruegeri coniectura [καὶ] ὥς.

Postremo nuper exemplorum numerum auxit I. v. Leeuwen (Mnem. N. S. XXV pars I). Legitur enim Thuc. VI — 36, 1 τοὺς μὲν Ἀθηναίους ὅστις μὴ βούλεται οὕτω κακῶς φρονῆσαι καὶ ὑποχειρίους ἡμῖν γενέσθαι ἐνθάδε ἐλθόντας, ἢ δειλός ἐστιν ἢ τῇ πόλει οὐκ εὔνους· Lepide vir doct. pro καί legit [ὡς] καί: „si quis non sperat eam esse Atheniensium dementiam ut ultro se nobis offerant, aut ignavus est civis aut improbus."

Etiam alibi huius confusionis vestigia multa exstant e. g. Aristot. Eth. Nicom. VI — 7, 3, ubi, teste I. Bywatero, ante ὥσπερ add. καί L^b r.

Sed, ut revertar ad Sophoclem, Halbertsma eodem modo corrigere conatur huius fabulae vs. 1486: καὶ σφὼ δακρύω· προσβλέπειν γὰρ οὐ σθένω· ubi pro καί coniecit ὡς.

El. 1481 καὶ μάντις ὢν ἄριστος ἐσφάλλου πάλαι; Verba sunt Orestis. Multo vero acerbius iratus patris ultor

diceret ὡς μάντις ὢν ἄριστος ἐσφάλλου πάλαι! Novissima huius fabulae editio, quam curavit Kaibel, nunc me docet iam Tzetzem (Epist. pg. 19) legisse ὡς μάντις κτἑ.

Si καί sanum est hoc loco significabit, ut iure perhibet nescio quis, καίπερ. Errare enim Hermann, qui ad O. R. 413 adnotat: „nusquam καί significat quamvis" multi nobis ostendent loci apud Homerum. Hanc ob causam non dubitarem recipere ingeniosam ad h. l. Reiskii coniecturam σὺ καὶ δεδορκὼς οὐ βλέπεις ἵν' εἶ κακοῦ, ubi καὶ iunctum cum participio erit „hoewel" cf. Ai. 85 ἐγὼ σκοτώσω βλέφαρα καὶ δεδορκότα.

Quam frequens autem in Sophoclis scholiis haec sit confusio ex hisce exemplis luculenter apparebit:

Schol. Philoct. 736, ubi Philoctetes exclamat ἰὼ θεοί haec habet ὁ Φιλοκτήτης διὰ τὴν εἰς οἶκον ἀνακομιδὴν ἀπαγορεύει τὰς γενομένας ὀδύνας καὶ λέγει ἰὼ θεοὶ καὶ χαίρων διὰ τὸν Νεοπτόλεμον, οὐ δύναται δὲ ἀληθῶς.

Luce est clarius Schol. pro corrupto καὶ χαίρων scripsisse ὡς χαίρων, quod restituere nemo, opinor, punctum temporis dubitabit. Praeterea haec coniectura iam occupata est a primo scholiorum antiquorum editore Ioanno Lascari, ut me docet veterum in Sophoclis tragoedias scholiorum editio, quam curavit N. Papageorgius (Lipsiae 1888).

Schol. Ai. 646. L. ὡς ἐν Τραχινίαις G. ὡς καὶ ἐν Τραχινίαις.

ibid. 1113 L. ὡς στρατεύειν, iam Lascaris καὶ στρατεύειν, melius Wunder καὶ συστρατεύειν, quod recepit Papageorgius.

Schol. Ant. 32 κηρύξαντ' ἔχειν· ἀντὶ τοῦ κεκηρυχέναι ὡς τὸ σιγήσας ἔχω ἀντὶ τοῦ σιγῶ. L. καί, quod iure correxit Lascaris.

ibid. 164 Pro καὶ ἔτι idem Lascaris restituit ὡς ἔτι. Vulgata tamen defendi potest.

ibid. 872. [ὡς] καί. Iure seclusit vocabulum ὡς Papageorgius.

Schol. Trach. 94 αἰόλα νύξ· μέλαινα καὶ οἱ νεώτεροι. ὡς οἱ νεώτεροι necessaria est Lascaris emendatio. Possis etiam [ὡς] καί.

ibid. 117 L. ὡς. Veram lectionem καί servavit Lobkowicianus, de quo codice vid. Papageorgium praef. pg. XI.

ibid. 434 L. καὶ μή, Lascaris ὡς μή. Sufficit fortasse transpositio, quam proposuit Papageorgius μὴ καί.

ibid. 697 Post vocabulum ἀφανῶς omissum est necessarium καί, quod inseruit idem.

ibid. 723 ταρβεῖν μὲν ἔργα· ἀνάγκη μὲν εὐλαβεῖσθαι τὰ δεινὰ ἔργα οὐ χρὴ δὲ πρὸ τῆς ἐκβάσεως καὶ τῶν συμβησομένων αἱρεῖσθαι τὰ δεινά. Papageorgius καί transposuit ante vocabulum πρό. Satis erit, me iudice, expungere voculam καί, quae per dittographiam nata est ex ἐκβάσεως.

Legens per hosce dies Eurip. Electr. invenio v. Her-

werden pro κόρην τε καί δάμαρτ' coniecisse κόρην τέως δάμαρτ', quod multo meliorem praebet sensum. [1])

Ad vs. 438:

ἥδ' ἡμέρα Φύσει σε καὶ διαφθερεῖ.

Schol. ἀντὶ οἵων εἶ γονέων δείκνυσι, quae explicatio multo melius quadrat in lectionem, quam proposuerim Φανεῖ. (cf. gl. δείξει σε, ὅθεν ἐγεννήθης). In eandem coniecturam iam incidisse video Nauck (Mél. Gr. R. II 713 sqq.), rei criticae haud contemnendum artificem.

Φύσει natum esse potest ex frequenti usu verbi φύειν in hac pulcherrima scena, cf. 435 τοιοίδ' ἔφυμεν, 436 οἵ σ' ἔφυσαν, 437 τίς δέ μ' ἐκφύει, 440 εὑρίσκειν ἔφυς.

Saepe φύειν et φαίνειν confunduntur: similiter enim corruptum duco Ai. vs. 647 ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος / Φύει τ'ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται. Iure ibi v. Herwerden, collato Phil. 297 ἔφην' ἄφαντον φῶς pro φύει restituit φαίνει (O. R. pg. 92),

Theogn. 231 ἄτη δ'ἐξ αὐτῆς ἀναφαίνεται, ἣν ὁπότε Ζεύς / πέμψῃ τειρομένοις, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει, idem pro ἀναφαίνεται nescio an recte restituit ἀναφύεται.

O. C. 1225 μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι -

κᾷ λόγον· τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ κτέ

Legendum cum Mähly ἐπεὶ φυῇ vel potius φύῃ, quod recepit Nauck.

---

[1]) Idem Eur. Ion. 570 pro ἔκρανε, καί coniecit ἔκρανεν, ὡς.

Schol. El. 645 citat:

εἰ μὲν πέφυκεν ἐσθλὰ δὸς τελεσφόρα
εἰ δ' ἐχθρὰ τοῖς ἐχθροῖσιν ἔμπαλιν μέθες.

Veram formam πέφηνεν ipsius fabulae textus servavit, itaque hic quoque pro corrupto πέφυκεν restituendum erit πέφηνεν.

Hinc aliud quoque vitium explicandum est. O. R. 1020 L. A. habent ἐγείνατ', Γ autem ἐφύσατ'. Saepius vero confunduntur γίγνομαι, γίνομαι, γείνομαι et φαίνομαι (cf. Nauck ad O. R. 127), itaque ἐγείνατ' fortasse abiit in ἐφήνατ', ex quo natum videtur ἐφύσατ'.

Praeterea coniectura φανεῖ eo confirmatur, quod etiam aliis locis Schol. φαίνειν explicat per δεικνύναι, Ant. scil. 1078 φανεῖ· δείξει, Phil. 944 φήνασθαι· δεῖξαι, O. R. 725 verba ῥᾳδίως αὐτὸς φανεῖ explicantur ῥᾳδίως ἤγουν εἰκόλως, αὐτὸς δείξει.

ibid. 901 εἰ μὴ τάδε χειρόδεικτα κτἑ. Schol. εἰ μὴ ταῦτα φανερωθῶσιν. Etiam ad vs. 691 ἴσθι δὲ παραφρόνιμον, ἄπορον ἐπὶ φρόνιμα | πεφάνθαι μ'ἄν, εἴ σ'ἐνοσφιζόμαν, Brunck affert gl. ἴσθι δὲ δεδεῖχθαι με παράφρονα, ἀτυχῆ (?) ἐπὶ τὰ συνετά, ἐάν σε παραλογίζωμαι, ὅστε τὴν ἐμὴν φίλην γῆν ἐν πόνοις ἀμηχανοῦσαν εὐώδωσας. Eodem modo huius dramatis vs. 790 καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα (Heimsoeth δύσφημα) προὐφάνη λέγων Wunderi coniectura necessaria, repetita ab Hermanno, προὔφηνεν eo confirmatur, quod in nonnullis libris invenitur explicatio προέδειξε. cf. Hesych. προέφηνε· προέδειξε. Iniuria igitur

Wilamowitz—Moellendorff apud Bruhn vulgatam retinet.

Mekler aliam Nauckii coniecturam secutus, in textum recepit τῇδε ἡμέρᾳ πεύσει σφε, quod longius a codicum scriptura recedit; neque magis placet, quod nuperrime coniecit Bos in dissert. laud. (pg. 138), qui adnotat: „φύσει non est verbum sed substantivum; pro καί fortasse legendum est σῇ," Credat Iudaeus Apella!

Fortasse tamen praestat pro φύσει reponere φαίνει (Schol. δείκνυσι), quod praesens erit, ut ita dicam, propheticum (cf. Oed. verba τίς δέ μ' ἐκφύει βροτῶν;). Similiter Aesch. Ag. 131 (Weckl.) legitur:

χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος
πάντα δὲ πύργων
κτήνη δήμια μυριοπληθῆ
Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον·

ubi omnino comparetur Weckleinii adnotatio, qui plura huius praesentis prophetici exempla congessit. [1])

καί autem acceptum velim eo sensu, quo saepius apud Latinos invenitur „et" e. g. Iuven. I — 74: virtus laudatur et alget, ubi et idem fere significat quod sed et vocabulum. quod sequitur, ἀπροσδοκητόν est. Loco, de quo agimus, pulchre dicit Tiresias: hic dies in lucem te profert, sed etiam — te perdet. Itaque totum versum sic restituerim: ἥδ' ἡμέρα φαίνει σε καὶ — διαφθερεῖ.

---

[1]) Cf. Ovid. Metam. I. 209: Ille quidem poenas — curam hanc dimittite — solvit.

De numerorum enallage infra fusius agam (cf. Append. ad vss. 62—64); nunc pauca de temporum enallage disseram:

a) praesens et futurum, ut hoc loco — mea quidem recepta coniectura — variantur Trach. 216 ἀείρομαι — ἀπώσομαι, O. R. 1446 ἐπισκήπτω — προστρέψομαι, ubi sine idonea causa Wunder offenditur „mira temporis praesentis et futuri coniunctione", cf. Thucyd. II — 44, 1. ὀλοφύρομαι — παραμυθήσομαι (Stephanus ὀλοφυροῦμαι, quod placet Herwerdeno). De praesenti pro futuro vid. Bothe ad O. R. 747. De praesentis et futuri, et praesentis et perfecti enallage apud Iuvenalem copiose disseruit Friedlaender Sat. I — 157.

b) praesens et aoristus Ant 9 ἔχεις — εἰσήκουσας, ibid. 204 κτερίζειν — κωκῦσαι, ibid. 309 ἁρπάζητε — μάθητε, ibid. 406 ὁρᾶται — ἠρέθη, ibid. 1236—1237 ἤρεισε — προσπτύσσεται, O. C. 518 στέρξον — πείθου, ibid. 1610—1611 ἀκούει — εἶπεν, El. 26—27 ἀπώλεσεν (aor. gnom.) — ἵστησιν, ibid. 96—99 ἐξένισεν — σχίζουσι, ibid. 265 λαβεῖν — τητᾶσθαι, ibid. 745—746 ἔθρυσε — ὤλισθεν — ἐν δ'ἐλίσσεται, ibid. 897 ἔσχον — περισκοπῶ, ibid. 986—987 πείσθητι, σύμπόνει — σύγκαμν' — παῦσον, O. R. 1414 πείθεσθε — δείσητε (Elmsley πίθεσθε), Ai. 31 Φράζει — κἀδήλωσεν, ibid. 507 αἴδεσαι — οἴκτιρε, Trach. 364—365 κτείνει — ἔπερσε, ibid. 795—796 εἶδε — καλεῖ, ibid. 807—808 βουλεύσασ' — δρῶσ', ibid. 924—925 λύει — ἐκ δ'ἐλώπισεν, ibid. 1227

κήδευσον — πείθου (Nauck πιθοῦ). Cf. praeterea Aeschyl. Prom. 274 (Weckl.) πείθεσθε, συμπονήσατε (Blomfield πίθεσθε), Plat. Crit. 44 b. πείθου καὶ σώθητι, Xen. Anab. I—9 ἠγάσθη — δίδωσιν, Thucyd. I — 129, 1 ἥσθη — ἀποστέλλει.

Huc pertinet, quod praesertim apud tragicos praes. histor. saepissime invenitur. cf. Bruhn ad O. R. 113: de praesenti pro praeterito insuper comparetur Bothe ad O. R. 761, Trach. 70.

c) praesens et perfectum O. C. 376 ἀποστερίσκει κἀξελήλακεν, Tr. 676—677 ἠφάνισται — φθίνει, ibid. 698 ῥεῖ — κατέψηκται. cf. Ovid. Metam. II — 158—159 corripuere — scindunt, ibid. II — 311—312 intonat — misit — expulit — compescuit, Verg. II — 464—465 convellimus — impulimusque.

d) praesens et imperfectum Ant. 433—434 θηρώμεθ' — ἠλέγχομεν, Tr. 767 ἀνήει — προσπτύσσεται, cf. Anab. I — 2, ὃ ὥρμᾶτο — ἐξελαύνει.

e) imperfectum et aoristus O. R. 125 ἐπράσσετ' — ἔβη, cf. Wunder et Hermann ad. O. R. 1311.

Pulcherrime animi motum prodit nuntius (O. R. 1241 sqq.) frequenti temporum enallage ἵετο (1242), κλεῖ (1245), γοᾶτο (1249) ἀπόλλυται (1251), εἰσέπαισεν (1252), φοιτᾷ (1255), δείκνυσι (1258), ἐνήλατο (1261), ἔκλινε, ἐμπίπτει (1262), χαλᾷ (1266), ἔπαισεν (1270) cett.

Quivis exemplorum numerum augere poterit, omnia enim adnotare supersedeo.

Ad vs. 452:

λέγω δέ σοι· τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν πάλαι
ζητεῖς ἀπειλῶν κἀνακηρύσσων φόνον
τὸν Λαΐειον, οὗτός ἐστιν ἐνθάδε,
ξένος λόγῳ μέτοικος, εἶτα δ' ἐγγενὴς
φανήσεται Θηβαῖος, οὐδ' ἡσθήσεται
τῇ ξυμφορᾷ·

Omnes fere editores, qui de hoc loco disputaverunt, iungunt ξένος μέτοικος, quae coniunctio, me iudice, intolerabilem praebet tautologiam.

μέτοικος etiam legitur O. C. 934, Ant. 852, 867, ubi μέτοικος, ut iure explicat Reisig, significat: „quisquis sede mutata alio habitatum concessit."

Parum probalilem huius loci explicationem vid. apud Bos. pg. 80, qui interpungit ξένος λόγῳ, μέτοικος· neque placet Dindorfii explicatio ξένος, λόγῳ μέτοικος ὤν; erat enim Oedipus specie (λόγῳ) ξένος, re vera (ἔργῳ) autem μέτοικος, quippe qui Corintho Thebas migrasset. [1])

Equidem ad locum corrigendum aliam viam sum ingressus: notus est tragicorum mos alius verba cum sarcasmo repetere; saepissime autem altercantes identidem alterius repetunt verba, cf. O. R. 548 sqq. et Hermann ad Eur.

---

[1]) Obiter vocabulum λόγῳ poetae redde Ai. 1383 τούτῳ γὰρ ὢν ἔχθιστος Ἀργείων ἀνὴρ / μόνος παρέστης χερσίν, ubi, ut recte animadvertit Nauck, propter sequens χερσίν exspectatur λόγῳ, cf. e. g. El. 59—60, Eur. fr. 362, 13.

Andr. 576. Eodem modo in fabula Ant., ubi rixantur Creon et Haemon, eadem vel cognata in responsionibus redeunt vocabula: σέβων — σέβεις (744—745), πόλις — πόλις (737—738), γυναικί — γυνή (740—741) δίκης — δίκαια (742—743), ἐξαμαρτάνουθ' — ἁμαρτάνω (743—744), ἐπαπειλῶν — ἀπειλή (754—755), Φρενώσεις — εὖ Φρονεῖν (756—757). Praeterea eadem vocabula repetuntur O. R. 524—525—527 (γνώμη — γνώμαις — γνώμη). Alia exempla inveniuntur apud Bellermann ad. O. R. 402, 548, et v. Herwerden et Jebb ad 547 ibid. Confer etiam festivissimam scenam inter Lamachum et Dicaeopolim (Acharn. 1097 sqq.) Haec est causa, cur v. Leeuwen recte improbet Nauckii suspicionem Ai. 1360: putabat enim vir doct. ἐπαινεῖς in textum irrepsisse ex sequenti ἐπαινεῖν: eandem vero vocem cum acerbitate regerit Ulixes.

Sed etiam apud tragicos vocabula longius remota eadem fere forma repetuntur, cf. Ant. 1033—1034, ubi Creon dicit:

ὦ πρέσβυ, πάντες ὥστε τοξόται σκοποῦ
τοξεύετ' ἀνδρὸς τοῦδε,

quibuscum comparari possunt verba Tiresiae (1084—1085):

τοιοῦτά σου, λυπεῖς γάρ, ὥστε τοξότης
ἀΦῆκα Θυμῷ καρδίας τοξεύματα („mit bittrer Beziehung auf Kreons Worte 1033 f." Nauck.)

Pulchrum praebet exemplum Eur. Med. 1342 sqq. Iason vocat Medeam:

λέαιναν οὐ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος

Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν Φύσιν, quo spectant in Medeae responsione haec, dicta cum ironia:

πρὸς ταῦτα καὶ λέαιναν, εἰ βούλει, κάλει
καὶ Σκύλλαν, ἥ Τυρσηνὸν ὤκησεν πέδον.

Sic O. R. vs. 601 ex coniectura Heimsoethii legerim ἀλλ' οὔτε λῃστὴς τῆσδε σῆς ἀρχῆς ἔφυν (verba sunt Creontis), comparatis, quae dixit Oedipus vs. 535 λῃστής τ' ἐναργὴς τῆς ἐμῆς τυραννίδος. Vocabula φονεύς (534) et λῃστής (535), quae iratus loquitur Oedipus, spectant ad vs. 122 sqq. λῃστὰς ἔφασκε — κτανεῖν νιν κτέ.

His omnibus reputatis verisimilius mihi videtur nostro quoque loco Tiresiam ad ipsius Oedipi verba alludere, qui (vs. 219) dixerat:

ἀγὼ ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ' ἐξερῶ κτέ.,

itaque confidenter restituerim:

ξένος λόγου μέτοικος,

iungens ξένος λόγου, quae verba cum ironia acerba loquitur Tiresias.

Ut hoc loco insolite coniunguntur ξένος λόγου, sic translate adhibetur φυγάς Thuc. VI — 92, 3 (loquitur Alcibiades) φυγάς τε γάρ εἰμι τῆς τῶν ἐξελασάντων πονηρίας καὶ οὐ τῆς ὑμετέρας, ἐὰν πείθησθέ μοι, ὠφελίας.

Confusionis inter $\overline{ου}$ et $\overline{ω}$ vestigia inveniuntur in huius dramatis vs. 892, ubi L. praebet lectionem θυμῶι, recentiores vero codices partim θυμῶ, partim θυμοῦ habent. Ai. 1217 pro πόντου cum Morstadtio legendum πόντῳ,

Ant. 865 L. habet δυσμόρῳ, Schol. rectius δυσμόρου, Schol. Ai. 190 (in fine) L. αὐτῷ, quod iure G. correxit in αὐτοῦ, O. R. 612 meliores codices πκρ' αὑτῷ, deteriores παρ' αὑτοῦ, ibid. 261 L [Γ] A κείνῳ L^r κείνῳ.

Simili modo fortasse corruptus est vs. 608 γνώμη δ' ἀδήλῳ μή με χωρὶς αἰτιῶ, ubi, ut ceterorum conatus silentio praeteream, verum vidisse videtur Bellermann coniciens: γνώμης δὲ δήλου μή με χωρὶς αἰτιῶ. Verba γνώμης δὲ δήλου — χωρίς apte, quod ad sensum attinet, comparari possunt cum vocabulis ξὺν ἀφανεῖ λόγῳ (vs. 657), iniuria a multis editoribus tentatis. Vide Antiphontis locum, quem citant Hermann et v. Herwerden (de Caede Herodis p. 136).

δῆλος communis generis e. g. invenitur Eur. Med. 1197 οὔτ' ὀμμάτων γὰρ δῆλος ἦν κατάστασις. Sic πτωχῷ δικίτῃ legitur O. C. 751, τηλικοῦτος (fem.) El. 614, O. C. 751, μεμπτός (fem.) Tr. 446, ubi videatur Schol., πτερωτὸς βροντή O. C. 1460, δωρητὸν οὐκ αἰτητόν O. R. 384, γνωτόν ibid. 396, ἀνασπαστοῦ πύλης Ant. 1186, πράκτωρ Tr. 861 (Schol. πρακτική), τύχῃ σωτῆρι O. R. 81, cf. Phil. 1471, ἱκετῆρες O. R. 185, λωβητῆρες Ant. 1074, κοινὸς κλαγγά Tr. 207 (comparat Schol. κλυτὸς Ἱπποδάμεια). Eodem loco pro ὁ μελλόνυμφος legendum cum Erfurdtio ἃ μελλόνυμφος. Jebb ad O. R. 384 huius usus exempla affert e Thucydide, et Platone, Bellermann ad eundem locum comparat Aesch. Ag. 298 (Weckl.) πορευτοῦ λαμπάδος. Vide praeterea Wecklein ad Ag. 598 et Nonnum XXXVII—551, qui habet σημάντορι φωνῇ.

Ad vs. 524:

ἀλλ' ἦλθε μὲν δὴ τοῦτο τοὔνειδος τάχ' ἂν
ὀργῇ βιασθὲν μᾶλλον ἢ γνώμῃ φρενῶν.

Collato Philoct. vs. 1129: ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλων | χειρῶν ἐκβεβιασμένον potius exspectes 'κβιασθέν. Recte Ellendt ἐκβιάζομαι vertit „vi extorquere".

Simili modo Madvig vs. 674 στυγνὸς μὲν εἴκων δῆλος εἶ, βαρὺς δ' ὅταν | θυμοῦ περάσῃς nescio an recte proposuit 'κπεράσῃς, quod περᾶν ubique significat transire et iungitur cum accusativo. Cf. Ai. 461 πέλαγος Αἰγαῖον περῶ; O. R. 1530 πρὶν ἂν | τέρμα τοῦ βίου περάσῃ, Eur. Andr. 102 τελευταίαν — περάσας ἡμέραν, Aeschyl. Eum. 942 (Weckl.) περᾶν ὄρον λοπῶν (vulg. τόπων), ibid. 636, Theocr. 427 πύλας Ἀίδαο περῆσαι.

Sine casu aut iunctum cum praepositione idem verbum ponitur O. C. 155 περᾷς· γὰρ | περᾷς (nisi forte scribere praestat περᾷς γὰρ | πέραν, vel potius πέραν γὰρ περᾷς cf. πέραν | περῶσ'), ibid. 886 πέραν | περῶσ' οἵδε δή, Ant. 327 περιβρυχίοισιν περῶν ὑπ' οἴδμασιν, ibid. 386 ἐκ δόμων — περᾷ, O. R. 531 δωμάτων ἔξω περᾷ, cf. Eur. Iph. T. 724, Herc. fur. 701.

Aliis locis apud Sophoclem hoc verbum non inveni.

Tr. 79 ὡς ἡ τελευτὴν τοῦ βίου μέλλει τελεῖν, cum Nauckio legere malim περᾶν, ibid. 946 πρὶν εὖ πάθῃ τις τὴν παροῦσαν ἡμέραν, Nauck proposuit πρὶν ἐκπεράσῃς vel πρὶν ἂν περάσῃς: alteram coniecturam esse praefe-

rendam ex eis quae dixi liquet. cf. O. R. 1530.

Itaque quod contendit Madvig factis confirmatur; addendum tamen erat περᾶν etiam absolute poni vel coniungi cum ἐξ, ἔξω.

Ex eis, quae disserui, argumentum fortasse peti possit cur vs. 74—75 vulgata tuenda, neque cum Bentleio et aliis legendum sit τοῦ γὰρ εἰκότος περᾷ, deleto versu proximo. Iam Jebb, de Bentleii agens coniectura adnotavit: περᾶν with the genitive in this sense is strange. O. R. autem vs. 674 ita explicare conatur idem, ut περάσῃς absolute sit positum, θυμοῦ vero genetivus, quem dicunt partitivum.

Etiam apud Aeschylum nusquam περᾶν cum genetivo construitur, sed aut absolute ponitur, aut regit accusativum, aut iungitur cum praepositione ἐξ, vel διά.

Duo tamen argumenta Madvigii coniecturam debilitant: *a*) numquam Sophocles usus est verbo ἐκπερᾶν; *b*) apud Aeschylum ter legitur, semper vero cum nudo accusativo (cf. Eur. Hippol. 824 ἐκπερᾶσαι κῦμα τῆσδε συμφορᾶς).

Praeterea tenendum est saepe poetas novi et insoliti aliquid sibi permisisse. O. R. 825 e. g. ἐμβατεύειν construitur cum genetivo, nusquam vero alibi; similiter ἐμβαίνειν iunctum cum ὄρων legitur O. C. 400. cf. ibid. 924.

O. R. 657 meliores codices praebent ἐκβαλεῖν, deteriores et Suidas βαλεῖν, quod receperunt Nauck, Dindorf, Wunder, v. Herwerden, alii. Cave autem ne inconsulte El. 569 ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλών pro βαλών conicias

ἐκβαλών. Recte enim Kaibel adnotat hunc locum significare κομπαστικὸν ἔπος ἐκβαλών „die Präposition ἐκ wirkt noch für βαλών mit, wie häufiger bei copulirten Verben". Apte comparat Trach. 89 et Ant. 536.

Ad vs. 556:

ἔπειθες, ἢ οὐκ ἔπειθες, ὡς χρείη μ' ἐπὶ
τὸν σεμνόμαντιν ἄνδρα πέμψασθαί τινα;

Offendit vocabulum τινα propter huius fabulae vs. 288, ubi Oedipus dicit: ἔπεμψα γὰρ Κρέοντος εἰπόντος διπλοῦς / πομπούς, ad quem locum Ellendt pessime adnotat „duas legationes, plus uno enim viro erat in utraque." Quid porro Jebb moverit, ut explicaret „he had sent two successive messages" non video. Similiter E. I. Keyser vertit „bis legatos misi." (Trag. Soph. quae vulgo inscribitur Oedipus Rex, Prologus Parodus et Primum Episodium Suethicis versibus expressa atque adnotationibus illustrata, Upsaliae 1869. Iam alibi dixi hunc libellum nullius esse pretii.) διπλοῦς enim prorsus idem est, quod δύο, vid. Bruhn. Praeterea comparari possunt vs. 297 οἶδε γὰρ / τὸν θεῖον ἤδη μάντιν ὧδ' ἄγουσιν, et vs. 305 εἰ καὶ μὴ κλύεις τῶν ἀγγέλων.

Itaque conicio pro τινα Sophoclem dedisse τινας, de qua coniectura iam Elmsleius cogitasse videtur. Vitium nasci patuit inde quod iniuria librarii coniungebant ἄνδρα et τινα (correctum ex τινας; lectio enim ἄνδρας restitui non poterat

propter spondaeum in pede quarto). Iungendum vero τὸν σεμνόμαντιν ἄνδρα ut σεμνόμαντις pro adiectivo habeatur, neque cum Bruhnio explicandum est σεμνόμαντιν per τὸν σεμνὸν μάντιν.

Recte iam Bothius ad hunc versum adnotavit σεμνόμαντιν significare σεμνὰ μαντευσάμενον, quomodo κακόμαντις et similia passim inveniuntur.

In hoc loco explicando praeterea aliquatenus conspiro cum Elmsley, qui tamen sine causa coniecit ὡς χρείη μετὰ / τὸν σεμνόμαντιν ἄνδρα πέμψασθαί τινα, quae verba bene sic ordinat: ὡς χρείη τινα μεταπέμψασθαι τὸν σεμνόμαντιν ἄνδρα.

Iniuria enim vir clarissimus offendebatur forma media πέμψασθαι, dicta pro activa πέμψαι.

Formas medias Sophocli in deliciis fuisse ex paucis exemplis apparere potest: Ai. 647 κρύπτεται (Schol. κρύπτεται· ἀντὶ τοῦ κρύπτει), ibid. 772 ηὐδᾶτ' (vide Nauckii adnotationem), ibid. 1376 ἀγγέλλομαι, El. 892 κατειδόμην, ibid. 1059 ἐσορώμενοι, Trach. 103 ποθουμένᾳ γὰρ φρενὶ πυνθάνομαι, quem locum iniuria coniecturis vexarunt viri docti (πονουμένᾳ Musgrave, πτοουμένᾳ Meineke, φοβουμένᾳ O. Hense, πόθου πλέᾳ Nauck), ibid. 306 ὁρωμένη, Ant. 594 ὁρῶμαι, O. C. 244 προσορωμένα, O. R. 1218 εἰδόμαν. Hoc modo Aeschyl. Suppl. 810 legitur τὸ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦ / ται φιλαιάκτων κακῶν· ubi recte Schol. ἀντὶ τοῦ ἐλευθεροῖ. Cf. praeterea Orph. Argon. 19, Bellermann

ad O. R. 556, Eustath. ad Il. Θ pg. 694, 20.

Ellendt postremo σεμνόμαντις per „verenda canens" explicat et praeterea s. v. ἀριστόμαντις, postquam apte comparavit ἀληθόμαντις, ὀρθόμαντις, ὀνειρόμαντις ita pergit „quae non significant ὀρθός, ἀληθὴς μάντις, sed ὀρθὰ μαντευόμενος, ἀληθῆ μαντευόμενος, ut Sophocleum illud non τὸν ἄριστον μάντιν, sed τὸν ἄριστα μαντευόμενον, τῇ μαντείᾳ ἀριστεύοντα." De his formis comparetur Lob. ad Phryn. pg. 600.

Libet mihi de huiusmodi compositionibus fusius agere.

a) apud Aeschylum inveniuntur:

ἀληθόμαντις Ag. 1240

θυμόμαντις Pers. 224.

ἰατρόμαντις Ag. 1623. Eum. 62, Suppl. 269.

κακόμαντις Sept. 721, Pers. 10.

ὀνειρόμαντις Choeph. 33 (cf. Theocr. XXI, 33. ὀνειροκρίτας, Eur. Phoen. 774 οἰωνόμαντις).

πυθόμαντις Choeph 1028 (cf. πυθόκραντος, πυθόχρηστος, πυθόνικος).

στρατόμαντις Ag. 125.

ψευδόμαντις Ag. 1194 (μουσόμαντις praeterea legitur frg. 62 (Weckl.); locus tamen corruptus est, cf. Av. 276; πρόμαντις, praesaga, Choeph. 758).

Substantivum ὀρθομαντεῖα invenitur Ag. 1214.

In his quae collegi procul dubio vocabulum compositum cum — μαντις adiective adhibetur tribus locis:

Suppl. 269 ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος (Apis scil.), Sept. 721 κακόμαντιν πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινύν, Choeph. 1028 τὸν πυθόμαντιν Λοξίαν — Pers. 224, Eum. 62, Ag. 125 substantive huiusmodi compositionibus utitur Aeschylus; ceteris locis significatio, ut opinor, diiudicari non potest.

b) apud Sophoclem:

ἀριστόμαντις Phil. 1338.

πυθόμαντις O. R. 965.

σεμνόμαντις O. R. 556.

ψευδόμαντις O. C. 1097. Cf. El. 475 εἶσιν ἃ πρόμαντις | Δίκα, ubi priorem Schol. explicationem praetulerim: ἡ προμαντευομένη τὰ μέλλοντα.

Ex his πυθόμαντις adiectivum est O. R. 965 τὴν πυθόμαντιν ἑστίαν. ψευδόμαντις substantivum est O. C. 1097; adiectivo sensu adhibere potuit Sophocles σεμνόμαντις et ἀριστόμαντις O. R. 556, Phil. 1338.

c) apud Pindarum:

Uno tantum loco inveni vocabulum compositum cum — μαντις, Nem. scil. I, 61 γείτονα δ'ἐκκάλεσεν Διὸς ὑψίστου προφάταν ἔξοχον | ὀρθόμαντιν Τειρεσίαν, ubi ὀρθόμαντις adiectivum esse videtur. Cum hoc loco omnino comparandum Theocr. XXIV, 64—66 Τειρεσίαν τόκα μάντιν ἀλαθέα πάντα λέγοντα κτἑ.

Fortasse littera σ etiam periit in huius fabulae vs. 808 ὄχου παραστείχοντα, τηρήσας μέσον | κάρα διπλοῖς κέντροισί μου κνθίκετο, ubi Doederlein reposuit ὄχους. Plura exempla

omissionis litterae σ inveniri possunt in fabulae O. R. editione, quam curavit Hermann, ad vs. 79, quibus adde O. R. 1111, ubi in L. legitur πρέσβει pro πρέσβεις, ibid. 1200, ubi pr. man. habet ἀνέστα, rec. ἀνέστας.

Comparari possunt praeterea vs. 120 (ex coniectura mea), 1242 (pro εὐθύ deteriores codices εὐθύς, quod reposuit Nauck), 1250 (?), 1446 ([Γ] A. προτρέψομαι.)

Inversa ratione vs. 107 τοὺς αὐτοέντας χειρὶ τιμωρεῖν τινας, a multis editoribus τινας corrigitur in τινα, quam lectionem etiam praebet Suid. s. v. ἐπιστέλλει. (τινάς legitur in codicibus cum puncto super σ a. m. pr., quod erasit rec. L., vide Herwerdeni adnotationem). Sic vs. 205 pro necessario ἀδάματ' restituto ab Elmsleio, in L. legitur ἀδάμαστ'.

Exempla confusionis inter verba cum πρό et πρός composita videantur in Hermanni adnotatione ad vs. 351 et 1460. Illustratur haec confusio pulcherrime Schol. ad Ant. 216 νεωτέρῳ τῳ τοῦτο βαστάζειν πρόθες, ubi legimus τὸ δὲ πρόθες ἀντὶ τοῦ πρόσθες· χρῶνται γὰρ τῇ πρὸ ἀντὶ τῆς πρός! Ex his liquet etiam librarios saepissime voculas πρό et πρός discernere non potuisse; itaque, ubicumque alterutrum vocabulum aptius est, apud Sophoclem sine dubio erit restituendum.

Ad vs. 566:

ἀλλ' οὐκ ἔρευναν τοῦ θανόντος ἔσχετε;

Verba ἔρευναν τοῦ θανόντος non idem significare possunt

atque ἔρευναν περὶ τὸν θανόντα, itaque omnino cum Meinekio legendum κτανόντος. Possis tamen lenius adhuc cum Herwerdeno (Luc. Soph. pg. 43) κανόντος.

Coniectura κτανόντος (κανόντος) duobus confirmatur argumentis: *a*) praegreditur (564) Oedipi interrogatio ἐμνήσατ' οὖν ἐμοῦ τι τῷ τότ' ἐν χρόνῳ; i. e. mei erat memor, scil. ut Laii occisoris; *b*) sequitur (567) Creontis responsio κοὐκ ἠκούσαμεν... (mente supplendum οὐδὲν εἰ μὴ λῃστὰς εἶναι τοὺς φονεύσαντας, vel tale quid, ut recte observat Bruhn).

Similiter Ai. 822 pro θανεῖν cum Morstadtio (Progr. 1864 pg. 45) legendum κτανεῖν vel potius κανεῖν, simul praegresso αὐτόν mutato in αὐτός. Tertio loco κτανεῖν et θανεῖν confunduntur Schol. El. 975, ubi citantur Electrae verba (821) ὡς χάρις μὲν ἂν θάνω; L. tamen in textu habet ἢν κτάνῃ, ubi Brunck mavult θάνω.

Ad vs. 579:

ἄρχεις δ' ἐκείνῃ ταὐτὰ γῆς ἴσον νέμων;

Suspecta lectio sive iungis γῆς ἴσον νέμων „parem regni portionem obtinens (?)", ut voluit Erfurdt, qui comparat vss. 201 et 240: (quorum alter locus nihil ad rem; ibi enim νέμειν est „tribuere") sive construis γῆς ἄρχεις, ἴσον νέμων, parem dignitatem tribuens, ut placuit Doederlino et Bellermanno, qui explicat: ἄρχεις γῆς τὴν αὐτὴν ἀρχὴν ἐκείνῃ, νέμων ἴσα αὐτῇ; eandem profert explicationem Jebb.

Frustra vero Nauck, Jebb, Hermann, Schmelzer,

Elmsley, Bellermann, Wunder, Bothe vulgatam tueri conantur, nec magis placet Herwerdeni coniectura, quamvis lenissima, ταῦθ', ἃ γ' ἐστ' ἴσον, νέμων.

Iusto violentius Heimsoeth (Krit. Stud. pg. 81, 231) legere iubet τοῦ κράτους ἴσον νέμων, Wecklein autem ταὐτὰ τῆς τιμῆς νέμων (vel minus probaliter ταὐτὸν ἐξ ἴσου νέμων), qui viri docti sensum tamen bene perspexisse videntur, cf. vs. 586 εἰ τά γ' αὖθ' ἕξει κράτη. Sensit etiam, quid desideretur Bruhn, adnotans „der Sinn des Korrupten Verses musz sein: und du herrschest, indem du ihr von den Herscherehren den gleichen Teil zuweisest wie dir selber."

Equidem Sophoclem dedisse suspicor:

ἄρχεις δ' ἐκείνη τῆς ταγῆς ἴσον νέμων;

Librarii, cum vocabulum insolitum ταγῆς non satis intellegerent, pro ταγῆς pessime scribebant τὰ γῆς, simul voce τῆς mutata in ταὐ —. Simili modo male litterae τα dirimuntur Ant. 454, ubi ridicule adnotat Schol. ὥστ' ἄγραπτα· τινές φασι τὰ γραπτά (!)· οὐ γὰρ ἄγραφοι τῶν θεῶν οἱ νόμοι, et ibid. 1136 ἐπισκοποῦντ' ἀγυιάς· γράφε ἐπισκοποῦντα γυίκς (!).

Vocabulum ταγήν etiam reddiderim Sophocli Ant. 287:

ὅστις ἀμφικίονας
ναοὺς πυρώσων ἦλθε κἀναθήματα
καὶ γῆν ἐκείνων καὶ νόμους διασκεδῶν;

Schneidewin δίκην τ' ἐκείνων, Pallis τιμάς τ' ἐκείνων,

alii alia. Haud dubitanter leniore restituerim correctione ταγήν τ'.

Vitium autem sic explico: dederat poeta κἀναθήματα / ταγήν τ', per haplographiam scribebatur κἀναθήματα / γήν τ', posterior vero librarius, syllabam deesse animadvertens, γήν τ' mutabat in καὶ γῆν errore proclivo.

τᾰγός apud Sophoclem legitur Ant. 1056 ἆρ' οἶσθα ταγοὺς ὄντας ἂν λέγῃς λέγων; Proprie significat „dux" (Thessalorum) cf. v. c. Xen. Hell. VI — 1, 8, ubi etiam legitur ταγεύεσθαι significatione „a duce regi."

Aeschylus habet vocabula τᾰγεύομαι (ordino), τᾰγέω (dux sum), τᾰγοῦχος (imperium tenens) et τᾰγός (dux). Uno loco Pers. scil. 324 ταγός apud hunc poetam priorem syllabam brevem habere potest. Apud Homerum, si lectio sana, neque est legendum cum Dionysá Thrace et multis editoribus οἵ τ' ἀγοί, legitur (Il. XXIII — 160) παρὰ δ' οἱ ταγοὶ ἦμι μενόντων. τᾰγή cum brevi α invenitur Arist. Lys. 105 ὁ δ' ἐμός γα, καἰκ' ἐκ τᾶς τᾰγᾶς ἔλσῃ ποκά. [1])

In hanc, quam proposui, coniecturam incidi ductus huiuscemodi vitii correctione in Agamemnonis loco notissimo (vs. 111) ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας / ξύμφρονα τὰν γᾶν κτέ (sic M. optimus codex; τᾰγάν cum glossa τὴν ὁμόφρονα τάξιν Farn., ταγάν Flor. Bess. Vict.). Verum fortasse vidit Dindorf resti-

[1]) Nunc tamen mihi persuasum est apud Homerum genuinam lectionem esse οἵτ' ἄγοι (scil. εἰσίν), «quotquot duces sunt».

tuendo ξύμφρονε ταγώ, quod receptum est a Wecklinio. [1])

Ad vs. 591:

εἰ δ' αὐτὸς ἦρχον, πολλὰ κἂν ἄκων ἔδρων.

Lenis et ingeniosa est coniectura Heimsoethii (K. S. pg. 78) ἀκνῶν scil. pro ἄκων, quod pulchram praebet oppositionem cum praegresso ἄνευ φόβου, ut recte animadvertit v. Herwerden, qui ἀκνῶν in textum recipere non dubitavit. Fortasse tamen vulgata retineri et aliquatenus defendi potest.

Consimilis enim sententia legitur v. c. Ai. 1350 τόν τοι τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον, i. e. regi, qui non solum pietatem vero etiam utilitatem saepe spectare debet, difficile est semper recte agere; itaque multis occasionibus invitus et coactus facit, quod regno conducit.

Mavult enim εὐσεβεῖν, ἄκων vero facit, quod suadet utilitas, vid. v. Leeuwen Comment, pg. 183, Dionys. Trag. fr. 4 pg. 617 ἡ γὰρ τυραννὶς ἀδικίας μήτηρ ἔφυ. Si

[1]) In tanta coniecturarum mole vix et ne vix quidem nova reperiri posse in diem mihi fit clarius. Locos, de quibus egi, retractans invenio iam duos viros doctos hanc, quam ad O. R. 579 proposui, coniecturam occupasse Tournier scil. et Cl. Otto.

Ecce, etiam v. Herwerden idem proposuit (Mnem. N. S. XVII pg. 260) coll. Hesychio ταγαῖς· ἀρχαῖς, ἡγεμονίαις.

Eo magis miror F. W. Schmidt acerbe in nostros invehi viros doctos, si hic illic aliorum coniecturas repetiverunt, quo vitio, si vitium est, ipse Schmidt non caret. Philologum enim ante alios meminisse decet: καὶ δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.

igitur vulgata retinetur, ἄκων ἔδρων opponitur τῷ πάντα φέρω, ἄνευ φόβου autem respondet ξὺν φόβοισι (585).

Coniecturam ἀκνῶν contra confirmare videtur Eur. Hippol. 1019—1020 κίνδυνός τ'ἀπὼν / κρείσσω δίδωσι τῆς τυραννίδος χάριν, ubi Euripides procul dubio de nostra fabula cogitavit. κίνδυνός τ'ἀπών autem significat τὸ μὴ ἀκνεῖν. In fabula, quae dicitur Ion, tyrannus narratur vitam degere δεδοικὼς καὶ περιβλέπων βίκν (vs. 624).

Ad vs. 597.

νῦν πᾶσι χαίρω, νῦν με πᾶς ἀσπάζεται,
νῦν οἱ σέθεν χρῄζοντες ἐκκαλοῦσί με·

Halbertsma pro πᾶσι χαίρω coniecit πᾶς ἐπαινεῖ, v. Herwerden πᾶς μ' ἐπαινεῖ.

In versu sequenti Wunder, v. Herwerden, Dindorf, Blaydes, Wecklein recipiunt αἰκάλλουσι, coniecturam Musgravii, qui tamen ipse adnotat: „fuit etiam cum de αἰκάλλουσι cogitarem, sed videbatur ea vox turpem potius assentationem, quam honestam petitionem significare."

Quod autem contendit Dindorf ἐκκαλεῖν et αἰκάλλειν saepissime confundi, apud Sophoclem nullam umquam huiusmodi inveni confusionem, neque mihi persuasit unicus locus, quem citavit Dind. Luc. scil. Lexiph. 10, ubi vocabula ἐκάλει δ'οὖν με τοὔνομα recte se habent, coniectura autem αἰκάλλει paucis placebit.

Schol., qui adnotat ἐκκαλοῦσι· προκαλοῦσιν vulgatam iam legit.

Iure praeterea Wolff-Bellermann inter alia haec habent in appendice critica „seine ursprüngliche Bedeutung wedeln, streicheln erweckt auch leicht einen verächtlichen Nebensinn, der zu unserer Stelle schlecht passt." Idem fere contendit Jebb, qui comparat Senecae fabulam, quae dicitur Oedipus (vs. 687): „Solutus onere regio, regni bonis / fruor, domusque civium coetu viget," praeterea citans Choeph. 663 et Eur. Bacch. 170.

Verbum *αἰκάλλειν* neque apud Aeschylum, neque apud Sophoclem legitur; semel in tragoediis invenitur, Eur. scil. Andr. vs. 630 *ἐκβαλὼν ξίφος / φίλημ' ἐδέξω, προδότιν αἰκάλλων κύνα*, ubi tamen magno cum contemptu est dictum.

Non iniuria Bos in l. l. pg. 29 contendit vocabulum „canis", dictum de homine magnas in eum congerere contumelias, cf. Rappold III, 23, Wunder ad O. R. 386, Bothe ibidem. Sic Ag. 1228 legimus *μισητῆς κυνός*, Soph. frg. 902 *κύων λαίθαργος*, quibuscum compara verba composita, apud Aeschylum reperta, *κυνόφρων*, *κυνοθρασεῖς*.

Exemplum praebebat Homerus Il. VIII — 423 *κύον ἀδϝεές* et XXII — 345 *μή με, κύον, γούνων γουνάζεο μηδὲ τοκήων*. Eodem modo cum contemptu ponitur *ὕλαγμα* et *ὑλακτεῖν*, cf. Ag. 1631, 1672, Soph. El. 299, Eur. Alc. 760, fr. 899, quos locos suppeditavit Rappold, *σαίνειν* autem apud Homerum solum invenitur de lupis et de canibus (*κ* 217, *π* 6, *ρ* 302, hymn. in Ven. 70); apud Sophoclem de voce

„auris pulsante" figurate ponitur Ant. 1214, de „adspectu" O. C. 320, de „malo blanda specie latente" fr. 508. Praeterea dicitur de piscibus caudas agitantibus fr. inc. 700; teste Phrynicho Sophocles etiam προσσαίνειν usus est.

Itaque temerarium est hoc loco pro ἐκκαλεῖν reponere αἰκάλλειν, quod verbum socco quam cothurno est dignius, cf. Thesm. 869.

Sed accedit aliud idque firmius argumentum. In verbo ἐκκαλεῖν enim saepissime inest notio „evocare ad consultandum". Iterum Homerus tragicorum fuit exemplum, cf. Od. X — 471 καὶ τότε μ' ἐκκαλέσαντες ἔφαν ἑρίηρες ἑταῖροι· ibi enim viri, qui una cum Ulixe navem conscenderant, regem suum evocant, ut de reditu consultent. Vide Od. XXI — 380.

Similiter apud Pindarum legimus haec (Nem. I — 60) γείτονα δ'ἐκκάλεσεν Διὸς ὑψίστου προφάταν ἔξοχον κτέ. Amphitryo ibi Tiresiam ad se vocat, ut de filii facto mirabili venerabilem consulat senem. Eodem sensu Ant. 19 legimus verbum ἐκπέμπειν. Omnino conferendum Schol. Ai 784 οἱ (Aiacis ministri) ὡς ἐπὶ μεγάλῃ προφάσει ἐκκαλοῦσιν αὐτήν (Tecmessam), ut de Aiacis scil. sorte eam interrogent.

Versus sequens τὸ γὰρ τυχεῖν αὐτοὺς ἅπαν (sic L.) ἐνταῦθ' ἔνι, mihi suspectus est, quod nihil novi orationi Creontis addit. Ex minoribus libris vulgo corrigitur αὐτοῖσι πᾶν. Schmidt: ὧν γὰρ τυχεῖν ἐρῶσι, πάντ' ἐν τῷδ' ἔνι. Tales coniecturae utiles sunt, quod indicant sensum, qui requi-

ritur. Displicet enim in vulgata τὸ τυχεῖν, sic nude positum. Obiter vide, quam ridiculum sensum lectio αἰκάλλειν praebeat, comparato hoc versu. Quis enim credat tam impudentem fuisse Creontem, ut diceret ἐν τῷ ἑαυτὸν αἰκάλλειν civium salutem esse positam.

Sed etiam vulgata non mutata, parum veri est simile Creontem, quem Oedipus accusat regiam appetere dignitatem, inconsulte dicere: tu quidem rex es, ego vero hominibus, quod volunt do. Utrum cives aliquid impetrent necne, prorsus est penes me — Haec verba iure animosi Oedipi iram moverent. Gaudeo, quod etiam Wecklinio vs. 598 spurius videtur, qui tamen rationes condemnationis non addit.

Spengel (Philol. XXXXVI — 50), qui contendit ἐνταῦθα (quod vulgo explicatur ἐν τῷ ἐκκαλεῖν ἐμε) significare ἐν τῷδε, ἐν ἐμοί (cf. Schol.), tali explicatione Creontis impudentiam auget.

Insolito sensu ἐκκαλεῖσθαι invenitur Tr. 1206 οἴμοι μάλ' αὖθις, οἷά μ' ἐκκαλῇ, πάτερ, / φονέα γενέσθαι καὶ παλαμναῖον σέθεν, ubi significat „provocare". Cum hoc loco compara Aesch. Ag. 282 (Weckl.) χαρά μ' ὑφέρπει δάκρυον ἐκκαλουμένη.

Ad vs. 611:

φίλον γὰρ ἐσθλὸν ἐκβαλεῖν ἴσον λέγω
καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ βίοτον, ὃν πλεῖστον φιλεῖ.

Praeter locos citatos ab interpretibus omnino est comparandum Theogn. 323 *μή ποτ' ἐπὶ σμικρᾷ προφάσει φίλον ἄνδρ' ἀπολέσσαι, πειθόμενος χαλεπῇ, Κύρνε, διαιβολίῃ.* A habet *ἀπολέσσαι*, OK *ἀπολέσσῃς*, C. *ἀπολέσῃς*. Hecker coniecit *ἀποειπεῖν*, Hartung *ἀπολῦσαι*, Bergk et post eum Hecker *ἀποθέσθαι*.

Fortasse melius placebit, quod nuperrime proposuit Blaydes scil. *ἀπόβαλλε* (vel potius *ἀποβάλλειν*), ductus, si bene menini, O. R. versibus, supra exscriptis.

Zieglero, adnotanti vulgatam fortasse sanam esse, *ἀπολέσσαι* autem vertendum per „amittere" (non perdere), nemo, opinor, facile assentietur.

Ad. vs. 623.

ΚΡ. *τί δῆτα χρήζεις; ἦ με γῆς ἔξω βαλεῖν;*

ΟΙΔ. *ἥκιστα· θνήσκειν σὺ φυγεῖν σε βούλομαι.*

Comparatis versibus 639—641, ubi Creon ad Iocastam dicit *ὄμμιμε, δεινά μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις / δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν, / ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος, ἢ κτεῖναι λαβών*, apparet aut vs. 623, aut vss. 639—641 corruptos esse. In vs. 623 enim Oed. dicit: nequaquam in exilium te agam; mori te volo, non exulare. Paucis vero versibus post Creon sic loquitur: aut in exilium agere, aut occidere me vult Oedipus. Non sufficit Brunckii explicatio: „boni ominis, ut videtur, gratia, obscure (!) significat, quod supra Oedipus aperte dixit." Quomodo tamen verba

ἢ γῆς ἀπῶσαι πατρίδος ἢ κτεῖναι λαβών obscure significare possint „occidere", mihi obscurum est, neque magis sanat locum correctio M. Schmidtii, quamvis lenissima, ἤ scil. pro οὐ (Philol. XVII — 417).

Wolff 640—641 in unum confundit δρᾶσαι δικαιοῖ δείν', (cum Spengelo) ἀποκτεῖναι λαβών. Vs. 641 in L. in margine est scriptus; conferatur tabella exscripta in Appendice. Bothii porro coniecturam αἰκιστὰ θνήσκειν, ἢ φυγεῖν nemo probabit.

Longiorem de hac re disputationem vide apud v. Herwerden (pg. 127—128), qui et alia tentamina affert (e. g. Meinekei coniecturam ἢ στέγης ἔξω βαλεῖν, quam refutat), et ipse proposuit μὴ εἴκοντα θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι. De sequentibus conferendus Dindorf praef. pg. XIX sqq.

Mihi lenior in mentem incidit correctio, quae totum sanat locum: legerim μάλιστα θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι, quae verba optime quadrant cum versibus 639—641.

Schütz, ut nunc me docet liber eius utilissimus, qui inscribitur „Sophokleische Studien", etiam μάλιστα legere malit, simul tamen οὐ mutato in ἤ, qua mutatione ratio coniecturae immutatur. Legit enim vir doct. μάλιστα· θνήσκειν ἢ φυγεῖν σε βούλομαι. Equidem, virgula posita post θνήσκειν locum sic expedio: mori aut exulare te volo; iucundissimum autem mihi est te perire, non in exilium agi, quae poena levior erit.

Suspicor litteras $\overline{\mu\alpha}$ in fronte versus periisse, —*λίστα* autem sic scriptum fuisse ΛΙΣΤΑ, ut littera λ facile cum κ confundi posset. Posterior vero magistellus ΛΙΣΤΑ mutavit in *ἥκιστα*. [1])

Saepius librarii in voce *μάλιστα* erravisse videntur. *μάλιστ'* procul dubio reponendum erit huius dramatis vs. 1172 *ἡ δ'ἔσω / κάλλιστ' ἂν εἶποι σὴ γυνὴ τάδ' ὡς ἔχει*, ubi v. Herwerden Nauckii commendat coniecturam *μάλιστ'*, apte conferens El. 1446 *μάλιστά σοι μέλειν / οἶμαι, μάλιστα δ' ἂν κατειδυῖαν Φράσαι.*

Thuc. VI — 93, 2 legitur *μάλιστα καὶ τάχιστα*. B eo loco habet lectionem *κάλλιστα*, unde v. Herwerden (Mnem. N. S. I 174) coniecit *καλλίστη*.

Eodem modo frequenter confunduntur *μάκιστα* et *κάκιστα*, e. g. O. R. 1301, ubi fluctuant codices inter *κακίστων* et *μακίστων* „solemni errore", ut recte ait Elmsley.

Ad vs. 634:

τί τὴν ἄβουλον, ὦ ταλαίπωροι, στάσιν
γλώσσης ἐπήρασθ', οὐδ' ἐπαισχύνεσθε γῆς
οὕτω νοσούσης ἴδια κινοῦντες κακά;

Praetulerim partim cum Herwerdeno, partim cum Doederlino *τί τήνδ' ἄνολβον*, quod vocabulum huic loco accommodatissimum est.

[1]) Veri similius tamen videtur periisse litteras $\overline{\mu\alpha\lambda}$.

Sic. Ai. 1156 legimus ἄνολβον ἀνδρ', quod prorsus idem significat atque ἄνδρα μωρίας πλέων (1150). Vocabula ἄνολβος et ἄβουλος iunguntur Ant. 1026.

Similiter O. C. 940 ἐγὼ οὔτ' ἄνανδρον τήνδε τὴν πόλιν νέμων / ὦ τέκνον Αἰγέως, οὔτ' ἄβουλον, ὡς σὺ φής, omnino cum Nauckio ἄνολβον legendum est. Vocabula enim laudata, quae loquitur Creon, spectant ad ea, quae dixit Theseus (vs. 917) καί μοι πόλιν κένανδρον ἢ δούλην τινὰ / ἔδοξας εἶναι κτέ. Huius fabulae vs. 549 pro τὴν αὐθαδίαν codices habent τήνδ' αὐθαδίαν.

Ad vs. 764:

κἄπεμψ' ἐγώ νιν· ἄξιος γὰρ οἵ' ἀνὴρ
δοῦλος(?) φέρειν ἥν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

Ad hoc exemplum emendetur El. 797 πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος [τυχεῖν] κτέ. τυχεῖν, quod habent P. Lr, cancellis saepsit Nauck. L. A. pr. m. habent φιλεῖν, Γ φίλος. Varie hunc locum tentaverunt critici: equidem coniecerin φέρειν; tum autem vocabula sic ordino ἥκοις ἂν πολλῶν ἄξιος, φέρειν, ut φέρειν infinitivus sit explicativus, significans „davontragen", cf. O. R. 590, 863, 1189 cum Nauckii adnotatione. [1]) Iniuria Kaibel retinet lectionem φιλεῖν, cf. Ant. 637—638 ἐμοὶ γὰρ οὐδεὶς ἀξιώσεται (i. e. ἀξιωθήσεται) γάμος /μείζων φέρεσθαι.

Verba φέ(ρ)ειν et φι(λ)εῖν perfacile confunduntur: littera

[1]) Eodem sensu φέρειν legitur Lys. XXXI — 22.

ρ enim, ut supra ostendi, identidem omittitur, vocabula autem cum $\overline{\varphi\iota\lambda}$ incipientia, ut memini me alicubi apud Bast legere, a festinantibus scribis scribuntur sola syllaba $\overline{\varphi\iota}$, superscripta litt. λ, quae tamen sexcenties perit, ut consentaneum est. Librarii igitur hoc loco confuderunt $\overline{\varphi\varepsilon}$ (omisso compendio, quod exprimit $\overline{\varepsilon\iota\nu}$) et $\overline{\varphi\iota}$.

Ad vs. 896:

τί δεῖ με χορεύειν;

Post χορεύειν L. cum quattuor aliis libris habet πονεῖν ἢ τοῖς θεοῖς, pro quibus vocabulis Dindorf transpositione restituit ἢ πονεῖν τοῖς θεοῖς. Thompson et Jebb verba πονεῖν ἢ τοῖς θεοῖς corrupta esse ex πανηγυρίζειν τοῖς θεοῖς, quod in aliis invenitur codicibus, opinantur. ἢ (οὐ?) πονεῖν τοῖς θεοῖς explicatio praecedentium vocabulorum esse videtur.

Violenter Nauck reposuit ποῖ δεῖ μ' ἔτι λεύσσειν; Wecklein τί δεῖ με θυσκεῖν; O. Hense τί δεῖ μ' ἐφορεύειν; Gleditsch τῷ δεῖ μ' ἱερεύειν;

Nulla coniectura satis placet, et verbum χορεύειν optime se habet. Non enim intelligo Nauckii adnotationem: das frevelhafte Treiben der Gottlosen kann den frommen Chor wohl zur Verzweiflung bringen, aber nicht füglich ihm die Lust am Tanz verderben oder von der Verehrung der Götter ihn abziehen. Non de scelestorum impietate, sed de nimia deorum indulgentia, qui talia facinora inulta esse sinunt, queritur chorus. Haec dicit

chorus: nisi poenas dant scelesti, deos saltatione colere necesse non est. Vide Wunderi, Schmelzeri et Bellermanni optimam huius loci explicationem. Iure Jebb contendit vocabula τί δεῖ με χορεύειν; apud Graecos idem esse ac „why maintain the solemn rites of public worship?" Iam apud Homerum deos per saltationem placant; vide Il I — 474 οἳ δὲ παννημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο, / καλὸν ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν, / μέλποντες ϝεκάεργον· (de significatione conferatur Lehrs („De Aristarchi studiis Homericis" ed. tert. pg. 138), qui summo iure contendit μέλπεσθαι et μολπή semper apud Homerum de ludo, et maxime de lusu saltationis dictum esse, non vero de cantu, vid. Od. IV — 19, VI — 101, Il. VII — 241, XVI — 182, XVIII — 572.)

χορεύειν satis defenditur locis citatis a Jebbio, quibus addo Ant. 153, 1152, Tr. 220, Eur. Ion. 1080, Pind. Isthm. I—8, Demosth. XXI 52, imprimis autem huius dramatis vs. 1095 καὶ χορεύεσθαι πρὸς ἡμῶν i. e. „choris celebrari," ut recte vertit Dindorf. Laetitiam per saltus exprimit chorus Ai. 701; res atra contra ἀχόρευτος vocatur El. 1069, ubi vide Nauck; iunguntur autem ἱερά et χοροί Eur. El. 310 ἀνέορτος ἱερῶν καὶ χορῶν τητωμένη.

Comparato versu antistrophico ἔρρει δὲ τὰ θεῖα (de sententia vid. Eur. Troad. 27) patet pro τί fortasse requiri longam syllabam.

Si quid mutandum, legerim οὐ δεῖ με χορεύειν.

qua correctione in textum admissa omnia bene sese habent. [1])

τί, quod hodie in codicibus legitur, relictum esse potest ex vocabulo οὐκέτι, quod magistellus nescio quis, ductus versu sequenti (οὐκέτι τὸν ἄθικτον εἶμι κτἑ) pro οὐ scripserit. Posterior librarius, duas superesse syllabas ex versu antistrophico intellegens pro οὐκέτι scribebat τί. Eodem modo metri causa pro ἔνθ' (vs. 878) cum Nauckio et Herwerdeno ἵν' scribendum esse ex vs. 868 (πατὴρ μόνος) patet. Sic etiam O. R. 1203 cum Blaydesio pro ἐμός fortasse legendum erit ἀμός (τὸν σόν enim legitur in stropha).

Si contra τί, de qua re dubito, sanum est, pro ἔρρει (vs. 910) legi posset νοσεῖ, quod vocabulum Sophocli in deliciis erat, cf. Bos in l. l. pg. 94—97, El. 1070. Eur. in loco, quem iam supra laudavi (Troad. 27) dicit νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.

Sufficit autem pro τί reponere οὐ. Ultimi versus prioris strophae et antistrophae magnam spirant pietatem, ita ut versus antistrophicus fortius repetat, quod iam dictum erat in versu strophico: μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει (871) — et θεὸν οὐ λήξω ποτὲ προστάταν ἴσχων. Similiter verba τί (οὐ) δεῖ με χορεύειν; (896) respondent ultimo versui antistrophico, ubi eadem res maiore repetitur emphasi ἔρρει δὲ τὰ θεῖα (vs. 910; pulchrius et fortius est ἔρρειν

[1]) τί tamen fortius est dictum.

quam νοσεῖν, quod fort. h. l. languet). De sententia cf. El. 244—250.

Totum episodium, quod sequitur (924—1085) posteriore demum tempore scriptum esse — ab ipso tamen poeta — suspicatur v. Leeuwen (Comment. pg. 41) propter complura licentiae metricae exempla (vicies occurrunt versus soluti, cf. imprimis vs. 967 ὃ δὲ θανών et 1073 τί ποτε).

Ad vs. 987:

καὶ μὴν μέγας [γ'] ὀφθαλμὸς οἱ πατρὸς τάφοι.

Iniuria hunc locum sanissimum tentaverunt critici, ut Halbertsma, qui proposuit μέγ' ἐστὶ (vel potius μέγ' εἰσὶ) θάλπος. Constat enim ὀφθαλμός hoc loco idem significare atque ὄμμα, φάος, quod luce fit clarius, si comparamus Pers. 168 sqq. (Teuffel) ἔστι γὰρ πλοῦτός γ' ἀμεμφὴς, ἀμφὶ δ' ὀφθαλμοῖς φόβος· / ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν. Variantur ὀφθαλμοῖς (de ocellis, um meinen geliebten Sohn, timor est, recte explicat Teuffel) et ὄμμα; sic, ut hoc utar, O. R. 54 legimus ὡς εἴπερ ἄρξεις τῆσδε γῆς, ὥσπερ κρατεῖς. Ut hoc loco ἄρχειν = κρατεῖν, ita priore loco ὀφθαλμός = ὄμμα. Pers. 168 autem respondet, ut iure observavit Rappold, versui praegresso μήτ' ἀχρημάτοισι λάμπειν φῶς, ὅσον σθένος πάρα. Synonyma igitur sunt ὀφθαλμός, ὄμμα et φῶς.

Hinc praeterea apparet μέγας additum substantivo

ὀφθαλμός, qua coniunctione nonnulli offensi sunt, omni carere offensione, siquidem μέγα vel μέγιστον φῶς saepissime invenitur, cf. e. g. Eur. I. A. 1063 μέγα φῶς, Bacch. 608 φάος μέγιστον.

Ad vs. 1019:

ΑΓ. οὐ μᾶλλον οὐδὲν τοῦδε τἀνδρός, ἀλλ' ἴσον.
ΟΙΔ καὶ πῶς ὁ Φύσας ἐξ ἴσου τῷ μηδενί;
ΑΓ ἀλλ' οὔ σ' ἐγείνατ' οὔτ' ἐκεῖνος οὔτ' ἐγώ.

Iniuria Nauck eicere velit vss. 1019—1020. Quod autem Oedipus Laium vocat ὁ Φύσας, quamquam nuntius distincte elocutus erat (vs. 1018) illum Oedipi patrem non esse, psychologice, si ita dicere licet, optime explicandum est Thebarum regem, qui per quadraginta fere annos Laium „patrem" vocaverat, etiam post ea, quae audivit, tamen, ut solebat, loqui de educatore et altore velut de patre suo. Praeterea non statim perspicit omnem veritatem, quod recte animadvertit Schol., qui adnotat ἔτι γὰρ Πολύβου νομίζει ἑαυτόν. Vs. 1020 autem, non, ut ait Nauck, trivialis repetitio est versus 1018, sed nuntius, iratus, quod Oedipus Laium τὸν Φύσαντα vocare pergit, cum impatientia aliqua respondet ἀλλ' οὔ σ'ἐγείνατ' οὔτ' ἐκεῖνος οὔτ' ἐγώ (οὔ — οὔτ' — οὔτ').

Procul dubio vero corruptum est τῷ μηδένι. Necessario enim hic requiritur sensus: quomodo is, qui me genuit, idem esse potest atque is, qui me non genuit? Itaque

sententia procul dubio poscit τῷ μή (scil. φύσαντι), ut bene perspexit v. Herwerden, qui simul — δένι, quod restat, in λέγε mutavit, interrogationis signo posito post μή. Eodem modo v. c. Eur. Alc. 528 legitur χωρὶς τό τ' εἶναι καὶ τὸ μὴ (scil. εἶναι) νομίζεται. Quid sit τὸ μηδέν et ὁ μηδείς docent exempla laudata ab Herwerdeno, quibus addantur Ai. 1231 cum adnotatione Nauckii, O. R. 638, 918. Alio sensu El. 1166 invenimus τὴν μηδὲν εἰς τὸ μηδέν.

Parum probabiliter vir doct. in diario classico (XII pg. 343) coniecit τῷ μηδένα (scil. φύσαντι). Quid desideretur bene sensit Wunder, cuius altera explicatio, quae ipsi quoque probabilior videtur, haec est: qui potest is, qui me genuit, idem esse atque is, qui me non genuit? Similiter fere Brunck: at quomodo genuisse et non genuisse idem sit? Aliter tentat locum Kvicala (Stud. zur Eur. I — 98).

Mihi alia coniectura arridet: legerim τῷ μή cum Herwerdeno, in — δένι autem latere mihi videtur σθένει, ut vs. 1019 restituendus sit:

καὶ πῶς ὁ φύσας ἐξ ἴσου τῷ μὴ σθένει;

Apte comparaveris fr. 108. (Dind.) ὁ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει, quem locum Blaydes (Advers. in var. poet. Graec. et Rom. pg. 158) sic emendat: ἢν δ' ἦ νόθος τις, γνησίοις ἴσον σθένει. Nostro loco ἐξ ἴσου significat ἴσον, cf. O. C. 1374.

$\overline{\iota}$ et $\overline{\varepsilon\iota}$ quoties confundantur, omnes sciunt. Exempla

inveniuntur apud Wecklein in libro qui inscribitur „Ars Sophoclis emendandi", pg. 43 et Vollgraff Stud. Palaeogr. pg. 25, quibus sexcentos locos addere possis. Sic vulgo in libris manuscriptis legitur οἰκτείρειν (e. g. Ai. 121, O. C. 109) pro οἰκτίρειν, quod unice est verum. Itaque in fine versus, ubi errores facile oriuntur μησθενι, me quidem iudice, corruptum est in μηδενι. Eo facilius μησθενι abire potuit in μηδενι, quod litterae σθ et στ saepissime uno ductu scribuntur, quo fit ut confundantur σθ cum θ et στ cum τ (cf. Dindorf ed. Ox³. ad O. R. 147, 205, 294, 446, 516, 635, 874, 1036, 1045, 1515, Jebb ad 134, 257, 294, 1491, Wolff ad 134).

Similiter corruptum duco huius dramatis vss. 574—575 (verba sunt Creontis):

εἰ μὲν λέγει τάδ', αὐτὸς οἶσθ'· ἐγὼ δὲ σοῦ
μαθεῖν δικαιῶ ταὔθ' ἃ περ κἀμοῦ σὺ νῦν.

Totum legenti contextum luce erit clarius restituendum esse οἶδ' (scil. Tiresias), quam coniecturam etiam alibi legisse mihi videor.

Ad vss. 1035—1037.

Οἰδ. δεινόν γ' ὄνειδος σπαργάνων ἀνειλόμην.
Αγγ. ὥστ' ὠνομάσθης ἐκ τύχης ταύτης ὃς εἶ (?).
Οἰδ. ὦ πρὸς θεῶν, πρὸς μητρὸς ἢ πατρός; Φράσον.

Calidius Nauck vss. 1035—1036 eicere velit; longiorem de tota scena disputationem vide apud v. Herwerden.

Heimsoeth autem optime observavit verba πρὸς μητρὸς ἢ πατρός non pendere posse ab ὠνομάσθης (1036), quia parum referebat, utrum nomen a patre an a matre accepisset. In tali enim rerum statu ineptissime Oedipus rogasset: pater an mater nomen Oedipum mihi dedit? Verius mihi videtur regem miserrimum, tale facinus ab ipsis parentibus esse patratum vix credens, exclamasse: per deos immortales, uter parentum tali contumelia afficere me ausus est? Itaque iungendum ὄνειδος σπαργάνων (i. e. clades, quae in incunabulis me percellebat; „eine Schmach der frühsten Jugend" eleganter, ut solet, Schmelzer) ἀνειλόμην πρὸς μητρὸς ἢ πατρός. Quam ob rem post Oedipi verba δεινόν — ἀνειλόμην, nuntius regem interrumpere videtur: ὥστ' — εἶ. Tum pergit Oedipus ὦ — Φράσον. Ex his, quae dixi, patet igitur corruptum esse δεινόν γ' pro quo conicio εἰ τοῦτ', totumque locum sic restituerim:

Οἰδ. εἰ τοῦτ' ὄνειδος σπαργάνων ἀνειλόμην —

Αγγ. ὥστ' ὠνομάσθης ἐκ τύχης ταύτης ὃς εἶ. (?)

Οἰδ. ὦ πρὸς θεῶν, πρὸς μητρὸς ἢ πατρὸς Φράσον.

εἰ (vs. 1035) pendet a Φράσον (1037). Pro ὃς εἶ fortasse cum Herwerdeno (Luc. Soph. pg. 46) legendum erit ταύτης γε σύ.

Recte, quod ad sensum attinet, totum locum iam explicavit Triclinius [πρὸς μητρὸς] πρὸς πατρὸς ἢ πρὸς μητρὸς, ἔπαθον τοῦτο δηλονότι, ἤγουν τὸ διατρυπηθῆναι τοὺς ἀστραγάλους, (i. e. ὄνειδος σπαργάνων.) ἀσύνετον γὰρ καὶ

ἀνακόλουθον πρὸς τὰ ἐπαγόμενα, τὸ νομίζειν ἐρωτᾶν τὸν Οἰδίποδα, εἰ ὑπὸ τοῦ πατρὸς (ἢ τῆς μητρὸς) ὠνομάσθη.

Eandem explicationem dedit gloss. apud Brunck; de Bothii ad hunc locum coniectura tacere satius est.

Ad vs. 1145:

ὅδ' ἐστίν, ὦ τᾶν, κεῖνος ὃς τότ' ἦν νέος.

Immo βρέφος. Comparaverim locum e Phoen. (21—25):

ὃ δ'ἡδονῇ ὑδοὺς εἴς τε βακχεῖον πεσὼν
ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα, κἀπὶ σπείρας βρέφος,
γνοὺς τἀμπλάκημα τοῦ θεοῦ τε τὴν φάτιν,
λειμῶν' ἐς Ἥρας καὶ Κιθαιρῶνος λέπας
δίδωσι βουκόλοισιν ἐκθεῖναι βρέφος κτέ,

ubi poeta Sophoclis tragoediam spectasse videtur; fabula enim Euripidea in scenam acta est inter annos 412—405. Apud Euripidem suspicionem movet repititio vocabuli βρέφος, qua re fortasse priore loco cum Wecklinio legendum est γόνον. Ibid. 804 Oedipus vocatur βρέφος ἔκβολον οἴκων.

Nunc video eodem modo, quo ego, locum corruptum correxisse Wecklein (Ars Soph. em. pg. 56), Bruhn autem in novissima O. R. editione recepisse coniecturam βρέφος.

Eodem Phoenissarum loco confirmatur correctio Nauckii, qui summo iure vs. 1176 κτενεῖν νιν τοὺς τεκόντας ἦν λόγος pro λόγος proposuit φάτις (cf. θεσφάτων γ'ὄκνῳ κακῶν vs. 1175). Suspicor λόγος glossema fuisse verae

lectionis φάτις, quam eo facilius per λόγος explicare poterant magistelli, si recordamur hic illic apud Sophoclem φάτις idem esse ac λόγος, cf. Phil. 1045, El. 329, 1213.

Similiter de Phoebi oraculo loquitur Creon (1440) ἀλλ' ἥ γ' ἐκείνου πᾶσ' ἐδηλώθη φάτις κτἑ.

Ad vs. 1220:

δύρομαι γὰρ ὡς
1220 περίαλλ' ἰαχέων.
ἐκ στομάτων.

Iniuria a nonnullis criticis tentantur vocabula ὡς περίαλλ', quae iungenda sunt. Locutio, quamvis non ita frequens, e. g. invenitur Theocr. XII — 28

τὸν Ἀττικὸν ὡς περίαλλα
ξεῖνον ἐτιμήσασθε Διοκλέα τὸν φιλόπαιδα,

ubi plurimi codices praebent περὶ ἄλλων ξείνων τιμήσασθε, quae correctio stupidorum est magistellorum, qui non comprehendebant ὡς περίαλλα. Veram lectionem, quam recentiores receperunt, iam restituit Ahrens.

Vox περίαλλα e. g. legitur Pind. Pyth. XI — 5, Hymn. in Pan. 46 (nusquam apud Homerum), Apoll. Rhod. II — 217, III — 529, Soph. fr. 232 b, Arist. Thesm. 1070.

Ad vs. 1236:

ὦ δυστάλαινα· πρὸς τίνος ποτ' αἰτίας;

Iure Meinekeus (Anal. Soph. pg. 242) in suspicionem vocat vocabulum αἰτίας. Non tamen proponere debuerat

ποτ' ἀθλία, sed potius ποθ' ἀθλία (de ongelukkige). Prudentius fortasse erit cum Herwerdeno post voculam ποτ' statuere lacunam.

Ad vs. 1262:

ἐκ δὲ πυθμένων
ἔκλινε κοῖλα κλῆθρα, κἀμπίπτει στέγη.

Omnes coniecturae vanae sunt: κλῆθρα summo iure a Nauckio explicatur „(verschliessende) Thür", κοῖλα autem sensu proleptico adhibetur. Miror neminem recentium criticorum laudavisse locum, qui optime hos versus illustrat, Theocr. scil. XXIV — 15:

ὅθι σταθμὰ κοῖλα θυράων
οἴκου (Kreussler pro οἴκου coniecit οἴγεν, cf. Pind. Nem. I — 41 ἀπειλήσασα φαγεῖν βρέφος Ἡρακλῆα. Aliter de hoc loco iudicat Th. Maguire (Journal of Philology Vol. III pg. 277).

Quod attinet ad verba mox sequentia (1273) ἀλλ' ἐν σκότῳ — ὀψοίαθ' cf. Schol. Ai. 954 κελαινώπαν· οἷον οὐκ ἐν τῷ φανερῷ ἀλλ' ἐν σκότῳ ἤδη βλεπόμενον κτἑ. Nostro tamen loco ἐν σκότῳ ὁρᾶν idem esse videtur ac μὴ ὁρᾶν.

Ad vs. 1320:

καὶ θαῦμα γ' οὐδὲν ἐν τοσοῖσδε πήμασιν
διπλᾶ σε πενθεῖν, καὶ διπλᾶ φορεῖν κακά.

φορεῖν quod recentiores praebent codices, iure a plerisque recipitur pro φέρειν, quod habet Laur. Vide Hermann.

Nemo post Wunderum dubitabit, num verba καὶ διπλᾶ φορεῖν κακά corrupta sint. Nauck, cui assentitur Heimsoeth, ingeniose θρεῖν coniecit, quod in textum recipere non dubitavit v. Herwerden. Speciosam hanc correctionem, de qua egi ad vs. 11. damnare non ausim.

Magis tamen mihi arrideret, quod relegenti hanc scenam mihi venit in mentem: διπλᾶ σε πενθεῖν, εἰ διπλᾶ φορεῖς κακά, εἰ scil. significatione „siquidem, quandoquidem", de quo usu vide lexicum Ellendtii, qui tamen male totum locum explicat. Recte Jebb φορεῖν κακά vertit „to carry ills about with thee". Vocabula διπλᾶ σε πενθεῖν spectant ad Oedipi exclamationem οἴμοι μάλ' αὖθις· verba autem διπλᾶ κακά explicantur versu 1318 κέντρων τε τῶνδ' οἴστρημα καὶ μνήμη κακῶν.

Postquam εἰ abiit in καί, necesse erat φορεῖς mutare in φορεῖν.

Confusionis autem inter εἰ, καί et ὡς plurima exstant exempla. Sic O. R. 814:

εἰ δὲ τῷ ξένῳ
τούτῳ προσήκει Λαΐῳ τι συγγενές,

procul dubio cum Heimsoethio (K. S. pg. 53) legendum pro corrupto προσήκει, lenissima adhibita coniectura, προσῆν καί. Suspicor pro προσῆν καί magistellorum errore scriptum esse προσῆν εἰ, quod posterior magistellus inepte mutabat in προσήκει. ibid. vs. 54 A habet ὥσπερ, L [Γ] Σ ὡς εἴπερ.

Similiter Schol. Ai. 102 ὡς ἂν εἴποι τις et ibid. 485 ὡς ἄν (Suid. εἰ) εἴποιμεν: utroque loco legendum erit ὡς εἰ; postquam per haplograhiam omissum est εἰ, pessime inseruerunt posteriores ἄν, ut explicarent optativum. Simplicius fortasse erit conicere voculam εἰ periisse ante sequens εἴποι (εἴποιμεν). Schol. El. 1245 post ὡς recte inseruit εἰ Lascaris, Schol. Tr. 47 ὡς ante εἰ inclusit Papageorgius, ibid. 905 post καί addidit εἰ idem.

Frequens apud Thucydidem vocabulorum ὡς, εἰ et καί confusio est. De ὡς et καί iam supra disserui. I — 40, 2 e. g. pro εἰ σωφρονοῦσι recte v. Herwerden restituit καὶ σωφρονοῦσι, IV — 97, 2 καὶ εἰπών prius vocabulum est delendum cum eodem. Pulchrum nuperrime attulit exemplum I. v. Leeuwen (Mnem. N. S. XXV, 2): Thuc. III — 38, 4 αἴτιοι δ' ὑμεῖς κακῶς ἀγωνοθετοῦντες, οἵτινες εἰώθατε θεαταὶ μὲν τῶν λόγων γίγνεσθαι, ἀκροαταὶ δὲ τῶν ἔργων, τὰ μὲν μέλλοντα [ἔργα] ἀπὸ τῶν εὖ εἰπόντων σκοποῦντες ὡς δυνατὰ γίγνεσθαι, τὰ δὲ πεπραγμένα ἤδη, οὐ τὸ δρασθὲν πιστότερον ὄψει λαβόντες ἢ τὸ ἀκουσθέν, ἀπὸ τῶν λόγῳ καλῶς ἐπιτιμησάντων. Pro ὡς coniecit vir doctus εἰ: „Verbis inhiare soletis, res vero fando audivisse satis vobis videtur, quae in votis sunt possintne fieri oratores potissimum rogatis, quae autem eventum habent" cett.

Fortasse tamen verba ὡς (εἰ) δυνατὰ γίγνεσθαι expungenda sunt, ut glossema: tum optime opponuntur ἀπὸ τῶν εὖ εἰπόντων et ἀπὸ τῷ λόγῳ καλῶς ἐπιτιμησάντων.

Eodem pertinet confusio inter εἰς, καί et ὡς, e. g. Ai. 729 ὥστε καί (L. ὥστ' εἰς), Tr. 366 ἥκει δόμους / ὡς τούσδε πέμπων οὐκ ἀφροντίστως, γύναι κτἑ. ὡς iungitur cum rebus animatis, itaque cum Brunckio legendum ἐς. Ibid. 394 δίδαξον, ὡς ἕρποντος εἰσορᾷς ἐμοῦ. Versus aut cum Herwerdeno eiciendus est (de loc. nonn. Aesch. et Soph.), aut, quod etiam Nauckio placuit, cum Wakefieldio legendum ὡς ὁρᾷς. O. R. 1481 ὡς τὰς ἀδελφὰς τάσδε τὰς ἐμὰς χέρας, Elmsley proposuit εἰς, Blaydes ἐς. Fortasse ὡς defendi potest, quod ὡς τάς — χέρας idem est atque ὡς ἐμέ (cf. vs. 1484 ὃς ὑμῖν κτἑ). Arist. Ach. 242 recte a Leeuwenio editur ἐς τὸ πρόσθεν (vulg. ὡς τὸ πρόσθεν) Incertius aliud est exemplum: O. R. 1312 v. Herwerden pro ἐς δεινόν, οὐδ' ἀκουστόν, οὐδ' ἐπόψιμον coniecit ὡς δεινόν κτἑ. Schol. Tr. 1262 post ὡς cum Lascari inserendum est εἰς. Eodem modo Thuc. VIII — 103 pro ἐς G. habet ὡς: fortasse legendum cum Herwerdeno ὡς ἐς (praecedit καί); ibid. I — 137, 3 optimi codices habent εἰς, G. vero ὡς.

Ad vs. 1463:

τοῖν δ' ἀθλίοιν οἰκτροῖν τε παρθένοιν ἐμοῖν,
οἷν οὔποθ' ἡμὴ χωρὶς ἐστάθη βορᾶς
τράπεζ' ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός, ἀλλ', ὅσων ἐγὼ
ψαύοιμι, πάντων τῶνδ' ἀεὶ μετειχέτην.

Locus conclamatus. Videamus quid viri docti de horum versuum explicatione dixerint. Hermann, postquam Schol.

minoris et Triclinii interpetationem, qui χωρίς hoc loco praepositionem esse iniuria contendunt, apte refutavit, hanc praebet explicationem: „quarum mensa numquam separata posita fuit sine huius hominis cibo."

Praeclare, sed omisit vir doctus vocabulum, in quo fortasse vitii sedes latet, scil. ἡμή. Bellermam coniunctionem βορᾶς τράπεζ' tueri conatur comparatis Apoll. Bibl. I — 9, 21, Xen. Hell. I — 1, 35, Anab. IV — 3, 11, quibus exemplis Jebb addit Phoen. 1491 στολὰς τρυφᾶς = στολὰς τρυφερά. Rectius fortasse Nauck ἐστάθη mutat in ἐπλήσθη, simul pro ἡμή posito ἡμῶν (F. W. Schmidt pro βορᾶς coniecit πάρος). Jebb et Wecklein Arndtii speciosam, sed inutilem coniecturam ἄλλη probant. Quod Heimsoeth proposuit ἀμῆς scil. pro ἡμή nullo modo ferri potest propter sequens ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός i. e. ἐμοῦ, neque ab omni parte satisfacit Hartungii, quamvis lenis, correctio ἤδη. Propositionem Mekleri, qui totum inserit versum, vide apud ipsum. v. Herwerden postremo (Mnem. N. S. XVII — 262) tentat οἶν οὐδεπώποτ' ἐστάθη βορᾶς [πλέα]. — Mihi aliud vocabulum in mentem venit, οἴμοι scil., quod optimam praebet sententiam. Oedipus, recordatione bonorum amissorum, ubi de infelici filiarum sorte loquitur, gravi adfectus dolore subito οἴμοι exclamat, qua exclamatione sua ipsius verba velut interrumpit. (cf. Ai. 341 τί ποτε μενοινᾷ; ποῦ ποτ' εἶ; — τάλαιν' ἐγώ, ibid. 610—611 ξύνεστιν ἔφεδρος — ὤμοι / μοι — θείᾳ μανίᾳ ξύναυλος·

ibid. 958 — φεῦ φεῦ —, ibid. 1205 — ὦ / μοι —, O. C. 982 — ὤμοι μοι κακῶν —, ibid. 1338 — ὦ τάλας ἐγώ —, ibid. 1401 — ὦ τάλας ἐγώ —, Tr. 377 — ὦ δύστηνος —, ibid 986 — οἴμοι ἐγὼ τλάμων —). Accepta igitur mea coniectura omnia bene se habent:

οἶν οὔποθ' — οἴμοι — χωρὶς ἑστάθη (?) βορᾶς
τράπεζ' ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός κτἑ.

χωρίς est adiectivum et explicatur per sequens ἄνευ τοῦδ' ἀνδρός ut e. g. Ai. 464 πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν / γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ, ubi γυμνὸν φανέντα explicatur per τῶν ἀριστείων ἄτερ. Plura exempla vide in Nauckii ad hunc locum adnotatione.

οἴμοι autem non solum extra metrum (ut Ai. 1002), aut initio versus ponitur (ut El. 1143), sed etiam medio e. g. Phil. 363 οἳ δ'εἶπον — οἴμοι — τλημονέστατον λόγον.

Frequenter $\overline{\eta}$ et $\overline{\imath}$ confunduntur. Vide v. c. O. C. θάκησιν (L. θάκοισιν), Theogn. 689 πημαίνειν — πημαντέον (plerique codices ποιμαίνειν — ποιμαντέον, A. O. veram praebent lectionem), ibid. 708 A. habet ἔλθῃ, O ἔλθη, plerique ἔλθοι, Eur. Andr. 870 φαύλοις, V P φαύλης, O. R. 1458 L ὅποιπερ, A ὅπηπερ.

Huius dramatis vs. 1518 ἀλλὰ θεοῖς γ' ἔχθιστος ἥκω non inepte conieceris οἰκῶ, quae coniectura, cuius auctorem nunc nullo modo in memoriam mihi revocare possum, nisi egregie fallor, iam occupata est ab alio.

Verbum οἰκεῖν saepe significat „versari", ut ναίειν

Trach. 99 τὸν Ἀλκμήνας πόθι μοι πόθι μοι / ναίει ποτ' κτἑ et Phil. 1106 ὃς ἤδη μετ' οὐδενὸς — ναίων ἐνθάδ' ὀλοῦμαι, cf. v. Herwerden ad O. R. 1390. Lectio ἥκω defenditur O. C. vs. 1177 ἔχθιστον, ἄναξ, φθέγμα τοῦθ' ἥκει πατρί; conferendus de verbi ἥκειν potestate Bothe ad O. C. vs. 1317 suae editionis, et ad O. R. 1330.

Fusius de confusione inter ἥκειν et οἰκεῖν disputavit Meineke (Anal. Soph. 229—230). Non tamen facio cum viro docto, qui Aesch. Suppl. 359 (ed. Weckl.) νέονθ' ὅμιλον mutare velit in ναίονθ' (= οἰκοῦνθ') ὅμιλον, quamquam eandem inveni confusionem Prometh. 736 (Weckl.), ubi L. habet νέουσ', recentiores vero apographi veram reservarunt lectionem ναίουσ'.

Praetulerim cum Wecklinio ναύονθ' ὅμιλον cp. Hesych. ναύειν· ἱκετεύειν παρὰ τὸ ἐπὶ τὴν ἑστίαν καταφεύγειν τοὺς ἱκέτας et ναύω· λίσσομαι, ἱκετεύω. Vid. Phot. ναύειν· ἱκετεύειν, ἐπεὶ ἐν τοῖς ναοῖς ἦσαν ἢ παρὰ τὴν ἑστίαν παρὰ τὸ ἐναῦσαι Egregia Wecklinii recepta coniectura a ναύονθ' pendet genet. τῶνδ' ἀγωνίων θεῶν, cf. ἱκετεύειν.

Ad exempla confusionis inter οἰκεῖν et ἥκειν, congesta a Meinekeo l. l. adde Thuc. II — 37, 1 καὶ ὄνομα μὲν διὰ τὸ μὴ ἐς ὀλίγους [ἀλλ' ἐς πλείονας] οἰκεῖν δημοκρατία κέκληται κτἑ. Dett. habent ἥκειν, meliores codd. οἰκεῖν; cum Herwerdeno et Boehmio praeferendum ἥκειν.

APPENDIX.

Leeuwenii de archetypo coniectura.

De versibus nonnullis spuriis.

v. Leeuwen in libro, qui inscribitur „Commentatio de Aiacis Sophoclei Authentia et Integritate (pg. 140 sqq.) inquisitionem de Laurentiani archetypo instituit. Servatur enim in calce Laurentiani adnotatio stichometrica, „quae ansam praebet ad computandum numerum versiculorum, qui fuit in singulis archetypi paginis."

Fabula	Aiax autem exarata erat foliis	16	versibus	1044
„	Electra . . . . . „	16	„	1040
„	Oedipus Rex . . . . . „	16	„	1060
„	Antigone . . . . . „	14	„	1147
„	Trachiniae. . . . . „	14	„	1220
„	Philoctetes. . . . . „	16	„	1405
„	Oedipus Colonaeus . . . „	20	„	1630

Levibus adhibitis coniecturis, quas omnes repetere longum est, concludit vir doctus: „singulos ordines (nam paginam géminum continere versuum ordinem

ostendit pg. 140) constitisse versibus 22," quam coniecturam multis confirmat argumentis, quae videantur apud ipsum. Sed haec hactenus.

In fabula, de qua loquimur, apparet (coll. v. Leeuwen pg. 145—148) in archetypo folio I recto praeter hypothesin cett. nonnisi 8 primos versus legi.

Variis coniecturis argumentisque hanc suspicionem adstruit v. Leeuwen, ex quibus confici potest haec tabella, quam exscribere ideo non dubitavi, quod magni momenti in textu emendando, versibus inserendis vel condemnandis esse cuivis patet.

folio I verso *a*) versus 9—20
" " *b*) " 31—52
" II recto *a*) " 53—74
" " *b*) " 75—96
" II verso *a*) " 97—118
" " *b*) " 119—140
" III recto *a*) " 141—157 (inter 141 et 158 inter-
" " *b*) " 158—179 cedunt complures versus praelongi vid. v. Leeuwen pg. 147).
" III verso *a*) versus 180—201
" " *b*) " 202—223
" IV recto *a*) " 224—245
" " *b*) " 252—272 („ in inferiore margine adscripti erant vss. 246—251, primum a scriba archetypi omissi." Vid. v. Leeuwen pg. 146).

folio	IV verso	*a*)	versus	273—294
		b)	„	295—316
„	V recto	*a*)	„	317—338
		b)	„	339—360
„	V verso	*a*)	„	361—382
		b)	„	383—403
„	VI recto	*a*)	„	408—428
		b)	„	404—407; 429—445
„	VI verso	*a*)	„	446—468
		b)	„	469—491
„	VII recto	*a*)	„	492—513
		b)	„	514—535
„	VII verso	*a*)	„	536—557
		b)	„	558—579
„	VIII recto	*a*)	„	580—601
		b)	„	602—623
„	VIII verso	*a*)	„	624—641 (?)
		b)	„	642—662

In fronte vel in fine ordinis vitia oriri, versus perire vel inseri perfacile posse nemo negabit.

In sequentibus agemus de versibus nonnullis spuriis; simul videbimus, utrum ingeniosa viri docti coniectura factis confirmetur necne. Obiter locos, de quibus iam egit v. Leeuwen, tractabo, nota addita hac.*

Iam primum videamus de vs. 8:

ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος.

Hunc versum expungit Wunder: iniuria, neque satis mihi placet adnotatio Nauckii „Oid. spricht diese Worte nicht im stolzen Selbstgefühl, sondern in Mitgefühl für die Leiden Thebens und im Bewusstsein des Abstandes zwischen seiner gepriesenen Herrlichkeit und dem, was er in der Noth zu thun vermöge." In fine adnotationis iure addit „die Nennung des Namens Οἰδίπους ist bedingt durch scenische Zwecke, zu O. C. 3."

Wolff—Bellerman contendit consulto vocabula πᾶσι κλεινός adhibuisse Oedipum, ut supplicantium relevaret animos; quis enim melius iuvare posset, quam ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους?

Addit vanitatem Oedipi minui vocabulo καλούμενος, quod tamen apud tragicos idem est atque ἄν. Postremo comparat superba Ulixis verba (Od. IX — 20) καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

v. Herwerden, qui apte observat concinnitatem Oedipi orationis augeri, si hic versus retinetur (tum enim loquitur Oedipus 3 + 2 + 3 + 2 + 3 = 13 vss.) Nauckii refutat explicationem, contendens gravissimum Oedipi vitium esse τὸ μεῖζον ἢ κατ' ἄνθρωπον Φρονεῖν.

Quid hic versus sibi velit, interpretes fugisse mihi videtur. Oedipus neque vanus, neque superbus est, neque, ut multi putant deorum contemptor; fusius de eius ingenio egi in praefatione: fiducia regi deest potentissimo,

horrenda praesensio, velut tristis caligo, infelicem perturbat Oedipum: haec est causa, cur subito irascatur [1]), speret, timeat. Semper, ut supra exposui, fatum exspectat imminens, animus maeroris praesagus [2]) perpetuo premit horrore miserrimum hominem.

In vocabulis ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους autem inesse mihi videtur ironia, vere tragica, quam ipse sentit Oedipus. Nonne potius hic versus sic explicandus erit: ὁ πᾶσι (ἀλλ' οὐκ ἐμοί) κλεινός, ut dicat rex: ego, quem omnes (non vero ego ipse, quippe qui melius rerum mearum statum noverim) vocant clarum illum Oedipum. Vide, quam pulchre pauca vocabula totum animi conditionem pingant, si modo recte iuterpretamur. Nusquam pulchrius summus poeta confirmat laudem, quam legimus in Vita

---

[1]) «Er (Oed.) ist leidenschaftlich bis zum Selbstvergessen.» F. W. Schmidt Krit. Stud. zu den Gr. Dram. I pag. 156.

«Ez ist also rasch, leidenschaftlich, eigensinnig»(?) Wolff—Bellermann pg. 139.

Schütz in libro laudato pg. 98 Oedipo exprobrat: Jähzorn, Neigung zu unbegründetem Misstrauen. idem pg. 99: jedem augenblicklichem Triebe seiner allerdings edelen Natur giebt er sich ohne Bedenkun hin.

[2]) «von einer dämonischen, ihm selbst unbewuszten Aufregung ergriffen.»

Schneidewin—Nauck pg. 7.

Cf. Eustath. ad I 608 — τοῦτο δὲ τὸ εἶδος καὶ Σοφοκλῆς μιμησάμενος. ὡς καὶ ἄλλα τῶν Ὁμήρου, ποιεῖ τὸν τύραννον Οἰδίποδα ἐν διαφόροις τόποις ἑαυτοῦ καταλέγοντα, οὔτε ἔκοντα, ἐξ ἀκουσίου δέ τινος ψυχικοῦ κινήματος κτέ.

οἶδε δὲ καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα, ὥστ' ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου, ἢ λέξεως μιᾶς, ὅλον ἠθοποιεῖν πρόσωπον. Haec vitae auctoris verba identidem optime illustrantur. Ut unum afferam exemplum, in fabula, quae dicitur Antigona legimus versum, quo totum virginis miserrimae perspicimus ingenium. Frustra Ismena sororem ab audacibus coeptis retinere conata est, tum addit: θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις, ad quae Antigona haec respondet: ἀλλ' οἶδ' ἀρέσκουσ', οἷς μάλιστ' ἀδεῖν με χρή. Optime de Oedipi loco iudicavit Schmelzer in eleganti huius fabulae editione, ubi inter alia haec habet „in melancholischem Tone gesprochen, haben die Worte eine tief-tragische Wirkung."

Ad vs. 31: (vid. tabell.)

θεοῖσι μέν νυν οὐκ ἰσούμενόν σ' ἐγώ κτἑ.

Versus corruptus esse videtur, neque dubitarem cum Blaydesio restituere pro ἰσούμενόν, ἴσον νέμων (transpositio: cf. 1135, ubi nescio an recte pro ὃ μέν Heimsoeth proposuit νέμων). Haec coniectura multo magis mihi arridet, quam quod coniecit Mekler, qui in vs. 32 legere malit ἀζόμεσθ' ἐφέστιοι; ἕζεσθαι enim verbum proprium est de supplicibus, cf. e. g. Eur. Heracl. 33 ἱκέται καθεζόμεσθα βώμιοι θεῶν.

Ad vs. 51:

ἀλλ' ἀσφαλείᾳ τήνδ' ἀνόρθωσον πόλιν·

Hunc versum eicere non ausim; notanda tamen est repetitio vocabulorum ἀνόρθωσον πόλιν (cf. vs. 46), neque ἀσφαλείᾳ significare potest ἀσφαλῶς. Iniuria citant igitur interpretes Ant. 162 ἄνδρες, τὰ μὲν δὴ πόλεος ἀσφαλῶς θεοί, / πολλῷ σάλῳ σείσαντες, ὤρθωσαν πάλιν· ibi enim ἀσφαλῶς ὀρθοῦν recte se habet.

Parum probabilis videtur Schol. explicatio, quam iam refutavit Wunder: ἀλλ' ἀσφαλείᾳ· γνώμῃ ἀσφαλεῖ καὶ ἐχυρᾷ εὐβουλίᾳ τὸ ἐμπεσὸν κακὸν τῇ πόλει ἀνόρθωσον; ipsius autem viri docti versio „erige civitatem, ut firma stet" arridet; ex vocabulis tamen hunc sensum elicere non possum.

Loci postremo, quem nuperrime ad dativum defendendum laudavit E. Bruhn Xen. scil. Inst. Cyr. V — 3, 47 ὁ δὲ Κῦρος ἐπιμελείᾳ (i. e. „studio", ut recte alicubi explicatur) τοῦτο ἐποίει, longe alia est ratio.

Sensus, qui nostro loco requiritur, est: ἀνόρθωσον τήνδε πόλιν, ὥστε ἀσφαλῆ γενέσθαι.

(Olim in fine fere paginae scriptum fuisse hunc versum, itaque interpolatori ansam dedisse ex tabella apparet.)

Ad vss. 62—64:

τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν' ἔρχεται
μόνον καθ' αὑτὸν κοὐδέν' ἄλλον, ἡ δ'ἐμὴ
ψυχὴ πόλιν τε κἀμὲ καὶ σ'ὁμοῦ στένει.

Iure Nauck et v. Herwerden in suspicionem vocaverunt ineptum illud μόνον καθ' αὑτὸν κοὐδέν' ἄλλον, neque

indigna, quae consideretur varia est lectio, quam praebet Teles apud Stobaeum Flor. 95—21:

τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν ἔρχεται
ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν καὶ πόλιν καὶ σὲ στένω,

ubi M. Schmidt coniecit κατασ τ έ ν ω. Hanc coniecturam recipere tamen dubitarim, comparatis Eur. Phoen. 437 παῦσαι πόνων με καὶ σὲ καὶ πᾶσαν π ό λ ι ν, O. C. 754 εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γ έ ν ο ς, quos locos citat Nauck. Elmsley porro et v. Herwerden commendant lectionem εἰς ἓν ἔρχεται, quam defendit huius fabulae vs. 519 οὐ γὰρ εἰς ἁ π λ ο ῦ ν | ἡ ζημία μοι τοῦ λόγου τούτου Φέρει κτἑ.

Pauci praeterea codices praebent ἕν, Suidas s. v. γνωτός totum hunc locum citat: ibi C. Med. habet lectionem ἕν, E. Med. αὐτό et ἄλλο. Similiter Schol. Tr. 1090 ἀφορῶν εἰς ἕ ν α ἕκαστον μέλος δυσφορεῖ κτἑ., cum Brunckio pro ἕνα legendum est ἕν.

Sophocles autem procul dubio sripsit εἰς ἕν, quod magistellus mutavit in εἰς ἕν', simul fortasse explicationis causa addito μόνον καθ' αὑτὸν κοὐδέν' ἄλλον.

Postremo criticus nescio quis offenditur verbis καὶ σ'ὁμοῦ (vs. 65), quod Oedipus incipit ὦ παῖδες οἰκτροί (2 pers. plur.), semper adhibet numerum pluralem προσ-ήλθεθ' (59), νοσεῖτε (60), τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος (63), ἐξεγείρετε (65), ἴστε (66). Huic tamen non assentior. Accurate Sophoclis fabulas relegens huius numerorum enallagae plurima inveni exempla, quorum haec adnotavi:

a) variantur 1 p. p. et 1 p. s. O. R. 145—146, O. C. 241, Ai. 1216—1222, Ant. 734 (pulcherrimum exemplum: legitur enim πόλις γὰρ ἡμῖν ἁμὲ χρὴ τάσσειν ἐρεῖ;), ibid. 1092, ibid. 1194—1195, ibid. 1336 (?), Phil. 1218—1221, ibid. 1394, El. 253, ibid. 597 (κακοστομοῦμεν — ἔγωγε — εἰς ἡμᾶς — νέμω), ibid. 785—787, ibid. 1230. Cf. Eur. Ion. 391, Theogn. 619—620 (κυλίνδομαι - ὑπερδράμομεν). Eodem modo nostrates saepe vocabulo „wij" utuntur significatione „ik".

b) 2 p. d. et 2 p. p. El. 1369—1370, O. C. 1369, ibid. 1435—1436 (?), ibid. 1444—1446. Cf. Arist. Thesm. 1155—1159 (μόλετον, ἔλθετον — ἦλθετε — ἀφίκεσθ').

c) 1 p. d. et 1 p. p. Ai. 945.

d) Saepissime autem permutantur 2 p. s. et 2 p. p. El. scil. 1398—1399, ibid. 1424 (ex coniectura Elmslei), Phil. 369, ibid. 466, ibid. 1028—1029, ibid. 1177—1181—1183, ibid. 1197—1202, Ant. 1033, Trach. 673—678. Sic Tecmessa pro toto choro choragum solum alloquitur Ai. 265, 281, 284 (283 autem legitur δήλωσον ἡμῖν τοῖς ξυνάλγοῦσιν τύχαις, cf. 332, 345), pluralem adhibet numerum ibid. 315, 329, 335, ad singularem revertitur 346. Imprimis conferendus est vs. 344 cum adnotatione Nauckii. O. C. 248—250, ibid. 264—268—269—282, ibid. 1112 (ἐρείσατ', ὦ παῖ—ἐμφύντε), ibid. 1204, O. R. 513—522, ibid. 1111—1115. Huc accedit Trach. 141 ubi Deianira totum chorum alloquitur hisce verbis:

πεπυσμένη μέν, ὡς ἀπεικάσαι, πάρει κτἑ. Cf. O. R. 679 sqq. Comparare iuvat voculas ἴδε et ἄγε, coniunctas cum plurali numero. [1])

e) 2 p. s. et p. d. O. C. 1102.

Similiter hic illic a tertia persona ad secundam se vertit oratio: O. C. 904—909, ibid. 1354, Trach. 227, O. R. 380 sqq., ubi Oedipus, de Tiresia, tamquam de absenti locutus (ὑφεὶς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον) sic pergit (390): ἐπεί, φέρ' εἰπέ, ποῦ σὺ μάντις εἶ σαφής; cf. Aeschyl. Suppl. 240—246, Arist. Lysistr. 487—488 αὐτῶν (Hamaker sine causa πάντων) — ἀπεκλήσατε, Ran. 1007—1008 ἵνα μὴ φάσκῃ δ'ἀπορεῖν με / ἀπόκριναί μοι κτἑ. Saepe hic usus fugit interpretes, ut Av. 1253—1256:

σὺ δ' εἴ με λυπήσεις τι, τῆς διακόνου
πρώτης ἀνατείνας τὼ σκέλη διαμηριῶ

[τὴν Ἶριν αὐτήν] κτἑ, ubi sunt, qui putent τὴν διάκονον aliam esse atque Iridem. Melius de hoc loco egit v. Herwerden Herm. XXIV pg. 619—620.

Exemplum erat Homerus Od. IV 685—686 ὕστατα καὶ πύματα νῦν ἐνθάδε δειπνήσειαν· / οἳ θάμ' ἀγειρόμενοι βίοτον κατακείρετε πολλόν κτἑ, Il. IX 417—418, XXIII 208—210. Plura congesseram; nunc autem video iam fusius de hoc

---

[1]) Sic alicubi apud Platonem legi: εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες τε καὶ Ἀπολλόδωρε κτἑ.

usu egisse virum doctum (I. Vahlen?) in Indice Lectionum Universitatis Litterariae Fredericae Guilelmae (Semestre hibernum 1897—1898) pg. 11—15.

Obiter monendum est saepius apud pedestres scriptores (e. g. apud Xenophontem) orationem indirectam subito mutari in orationem rectam (variantur igitur 3 p. et 1 p.), cf. v. c. Xen. I — 3, 14 *εἷς δὲ δὴ εἶπε — συντάττεσθαι τὴν ταχίστην — ὧν πολλοὺς καὶ πολλὰ χρήματα ἔχομεν ἡρπακότες*, vid. ibid. I — 3, 16.

f) 3 p. s. et 3 p. p. Ant. 1022, ibid. 1024—1026 *ἀνθρώποισι γὰρ / τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν· / ἐπεὶ δ'ἁμάρτῃ κτέ.*, ibid. 1165—1167 *τὰς γὰρ ἡδονὰς / ὅταν προδῶσιν ἄνδρες, οὐ τίθημ' ἐγὼ / ζῆν τοῦτον.*

Similiter *ὅστις* saepe refertur ad notionem pluralem, respondetque e. g. pronomini *οὗτοι*, cf. Ant. 707—709 (cum adnotatione Nauckii) *ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ Φρονεῖν μόνος δοκεῖ / ἢ γλῶσσαν ἣν οὐκ ἄλλος ἢ ψυχὴν ἔχειν /, οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί*, Ai. 760 *τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόητα λήματα πίπτειν — ὅστις — μὴ κατ' ἄνθρωπον Φρονῇ.*

Magistellis talis enallage fraudi fuit O. R. 977 *τί δ'ἂν Φοβοῖτ' ἄνθρωπος, ᾧ τὰ τῆς τύχης / κρατεῖ.* Quare nondum omnes editores egregiam Meinekei correctionem *οἷς* pro corrupto *ᾧ* receperint (A. S. pg. 241), non adsequor. Procul dubio Sophocles dedit *οἷς*, quod stultissimus magistellus in *ᾧ* mutavit.

Plura vide in libello pulcherrimo, adversa vero fortuna

parum noto, quod inscribitur „Cothurnus Sophocleus, scripsit Albertus Lindner" § 85.

De temporum enallage lector inspiciat, quae adnotavi ad vs. 438. Huic disputationi plura addi possunt, sed exempla, quae congessi, sufficiunt ad demonstrandum, quod demonstrare volui: verba καὶ σ' ὁμοῦ, per se spectata, omni carere suspicione.

Non magis mihi placet, quod parum probabiliter coniecit M. Schmidt:

τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν εἰς ἓν' ἔρχεται μόνον,
ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν καὶ πόλιν καὶ σὲ στένω,

et, quod mutatio proposita longius a textu recedit, et quod retinet vir doct. suspectum illud ἓν'.

Praeterea — quod vel gravissimum est argumentum — ἐγώ rescribit Schmidt pro pulcherrimo ἡ δ' ἐμὴ ψυχή, quod colorem imprimis habet Sophocleum, ut recte iam animadvertit v. Herwerden O. R. pg. 86. Cf. praeter locos, ibi laudatos, Phil. 714 (ὦ μελέα ψυχά, / ὃς κτἑ), Trach. 1260, Ai. 154, O. C. 498. Sic saepe τοὐμὸν σῶμα legimus pro nudo pronomine, e. g. O. R. 643, O. C. 355 (ἃ τοῦδ' ἐχρήσθη σώματος), Eur. Alc. 636: plura praebet v. Herwerden ad O. R. 643. Eodem modo tragici utuntur πλευραί, καρά, δέμας, χείρ, γόνυ, loco pronominis.

Si quid mutandum potius proposuerim:

τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν ἔρχεται,
ψυχὴ δ' ἐμὴ πόλιν τε κἀμ' ὁμοῦ στένει.

De alterius versus formatione apte comparari possunt, quae habent Schütz in l. l. ad Ai. 469, et v. Leeuwen Comment. pg. 26.

Verbis, posteriore demum tempore additis: μόνον καθ' αὑτὸν κοὐδέν' ἄλλον sesquipes deerat ad trimetrum supplendum; magistelli autem ordinem restituere conabantur pro ψυχὴ δ' ἐμή transpositione rescribentes ἡ δ' ἐμὴ / ψυχή, simul, ut hiatus in vs. 64 impleretur addito — ὲ καὶ σ'. Saepe enim vitia „constructione" nata sunt, de qua re comparetur v. Herwerden ad O. R. 976. Pulchrum talis vitii constructione orti exemplum praebet El. 775, ubi Sophocles procul dubio scripserat νηδύος γεγὼς ἐμῆς (Blaydes); magistelli transponentes vocabula scripserunt ἐμῆς νηδύος γεγώς; tum metri causa νηδύος mutatatum est in ψυχῆς, quo factum, ut hodie textus praebet ineptissimam illam lectionem τῆς ἐμῆς ψυχῆς (!) γεγώς. [1])

Quamquam aegre caremus vocabulis καὶ σ', quae ipsa, ut dixi, nullam movent suspicionem, (cf. Phoen. 437, O. C. 754) tamen necessaria non sunt. πόλιν enim, quod hoc loco idem significat ac πολίτας, ut O. C. 1298, El. 642, per se iam includit chorum cum chorago, neque indignus, qui comparetur, fabulae Aeschyleae, quae inscribitur Septem adversus Thebas, est vs. 254, ubi in M. legitur:

[1]) Similiter inepte legitur (Eur. Phoen. 1597) πρὶν εἰς φῶς μητρὸς ἐκ γονῆς μολεῖν, ubi exspectatur νηδύος μητρὸς μολεῖν, vel tale quid.

αὐτὴ σὺ δουλοῖς κἀμὲ καὶ πᾶσαν πόλιν;

sine causa ibi Dindorf, quamvis speciosam, coniecturam Wunderi recepit, καὶ σέ scribentis pro κἀμέ. Verba enim πᾶσαν πόλιν ad omnes spectant cives, etiam ad chorum. Non magis assentiri possum editoribus, qui ex pluribus apographis accipiunt lectionem κἀμὲ καὶ σὲ καὶ πόλιν, quae fortasse inde est nata, quod magistelli vulgatam ex iam corrupto Oedipi Regis loco sanare conati sunt.

Vide praeterea, quam pulchrum habeamus schema remotis vss. 64 et 75 ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου (cum Bentleio, Porsono, Herwerdeno). Tunc enim loquitur Oedipus 4 + 5 + 5 + 4 = 18 versus.

Ad vs. 75.

καὶ μ' ἦμαρ ἤδη συμμετρούμενον χρόνῳ
λυπεῖ τί πράσσει· τοῦ γὰρ εἰκότος πέρα
ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου.

Versum 74 λυπεῖ τί πράσσει· τοῦ γὰρ εἰκότος πέρα in fine ordinis olim legi ex tabella exscripta apparet. πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου vero glossema antiquum fuit vocabulorum τοῦ εἰκότος περᾷ, quod glossema, cum archetypus transscriberetur, a magistello dilatatum esse videtur ita, ut novus nasceretur versus ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου, simul scripto πέρα pro περᾷ ([Γ] A πέρα, L. πέρᾳ). Quam ob rem non dubitarim Porsoni emendationem recipere. Eodem modo Schol. Trach. legitur πλείω τοῦ δέοντος,

quod explicatio est corrupti vocabuli περαιτέρω; iure ibi O. Hense pro περαιτέρω coniecit καιροῦ πέρᾳ.

Saepissime autem ex explicationibus, ad sanos adscriptis versus, novos oriri versus quivis novit.

Sic fortasse huius dramatis vs. 800 καί σοι, γύναι, τἀληθὲς ἐξερῶ· τριπλῆς natus est ex uno vocabulo τριπλῆς adscripto ad versum sequentem ὅτ' ἦ κελεύθου τῆσδ' ὁδοιπορῶν πέλας κτἑ, coll. vss. 716, 730.

Cf. Eur. Iph. in T. 719—720

ἀτὰρ τὸ τοῦ θεοῦ σ' οὐ διέφθορέν γέ πω
[μάντευμα, καίτοι γ' ἐγγὺς ἔστηκας φόνου.]

Alter versus iure deletur. Magistellus ad verba τὸ τοῦ θεοῦ desiderabat substantivum; non dubitabundus addidit μάντευμα, ex quo totus versus 720 fluxit.

Pulcherrimum exemplum legimus Eur. Or. 1022—1024:

οὐ σῖγ' ἀφεῖσα τοὺς γυναικείους γόους
στέρξεις τὰ κρανθέντ', οἰκτρὰ μὲν τάδ', ἀλλ' ὅμως
[φέρειν ἀνάγκη τὰς παρεστώσας τύχας].

Ultimum versum iure delevit Kirchhoff; nota est formula ἀλλ' ὅμως, cf. festivum illud fragmentum Susarionis. Schol. autem, qui hunc versum, ut observat Dindorf, non legisse videtur, adnotat: ὅμως· λείπει τὸ δεῖ φέρειν. τινὲς γράφουσιν οἰκτρὰ μὲν, ἀλλ' ὅμως φέρε.

Versus 724 fluxisse mihi igitur videtur ex vocabulo φέρε, explicationis causa addito ad ἀλλ' ὅμως.

Quam saepe magistelli talibus putidis „explicationibus"

textum corruperint, vix dici potest. Duo alia afferam exempla: Ai. 811—812 legimus:

χωρῶμεν ἐγκονῶμεν, οὐχ' ἕδρας ἀκμή
[σῴζειν θέλοντας ἄνδρα γ'ὃς ἂν σπεύδῃ θανεῖν.]

Vide Nauckii adnotationem.

Sic O. R. 826:

ἢ γάμοις με δεῖ
μητρὸς ζυγῆναι καὶ πατέρα κατακτανεῖν

vocabulum πατέρα explicatur per additum Πόλυβον. Ex glossemate autem totus natus est versus, languidus et iure iam a Wundero expunctus:

Πόλυβον, ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με.

Ad vs. 140—141:

κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.
* κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Vide tabellam. De versu priore, ubi τιμωρεῖν procul dubio corruptum est, iam supra egimus. Versum autem sequentem, quem Laurent. habet in margine a. m. pr., iure condemnant Bergk et v. Herwerden, quos vide. Schol. hunc versum legisse videtur, adnotat enim καὶ τοῦτο κινητικὸν τοῦ θεάτρου· τὰ γὰρ ἐναντία προβήσεται. (Ioannes Lascaris ἀποβήσεται. De confusione inter ἀπό et πρό cf. Bast pg. 886).

Non tamen multum hoc testimonium valet, si recordamur scholia posteriore demum tempore ad textum

adscripta esse. Conferendus I. v. Leeuwen in libro laudato pg. 125, 140, ubi inter alia haec habet: „Praeterea satis constat eum (i. e. codex archetypus, ad quem Laurentiamus est descriptus) exhibuisse solum textum sine scholiis; in Laurentiano enim scholia ab aliis scribis postmodo sunt adiecta, cum prior librarius non nisi ipsa poetae verba exscripsisset." Plura de scholiis vid. apud Dindorf ed. Oxon. pg. XIV—XV.

Ad vs. 158:

* εἰπέ μοι, ὦ χρυσέας τέκνον ἐλπίδος, ἄμβροτε Φάμα.

ἄμβροτε corruptum videtur. Fortasse tamen praestat in versu sequenti pro ἄμβροτ' cum Wecklinio legere ἄντομ', quam coniecturam recepit Bruhn.

Ad vs. 180:

* ὧν πόλις ἀνάριθμος ὄλλυται·
νηλέα δὲ γένεθλα πρός πέδῳ κτὲ.

L. δεἀγενεθλα aut δεέγενεθλα, Lr δ'ἀγενέθλα, Σ' δ'ἀ γενέθλα, Γ A Σ δὲ γένεθλα.

Vides, quam incerta huius versus, qui olim in fronte paginae legebatur, sit lectio.

Ad vss. 267—272:

Post versum 245 τῷ τ'ἀνδρὶ τῷ θανόντι σύμμαχος πέλω leguntur haec:

* κατεύχομαι δὲ τὸν δεδρακότ', εἴτε τις
εἷς ὢν λέληθεν εἴτε πλειόνων μέτα,
κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον·
ἐπεύχομαι δ', οἴκοισιν εἰ ξυνέστιος
ἐν τοῖς ἐμοῖς γένοιτ' ἐμοῦ ξυνειδότος,
παθεῖν ἅπερ τοῖσδ' ἀρτίως ἠρασάμην,

quos versus Ribbeck transposuit post vs. 272. Sagaciter perspexit v. Leeuwen vs. laudatos, primo omissos, postea a magistello in inferiore margine additos esse. Fol. Rect. IV itaque legebantur vss. 224—245 et 252—272, in fine paginae autem postea addebantur versus supra exscripti, qui, Fortuna adversa, a sequenti magistello coniungebantur cum vss. 224—245, re vera autem post vs. 272 erant addendi.

Ad vs. 273:

ὑμῖν δὲ τοῖς ἄλλοισι Καδμείοις, ὅσοις κτὲ

Vide tabellam. V. Jernstedt probatus a Nauckio legit τοῖς τ' ἄλλοισι. Praestat fortasse cum alio critico legere Καδμείοις θ', ὅσοις.

Ante O facile Θ per haplographiam omitti poterat.

Ad vs. 294:

* ἀλλ' εἴ τι μὲν δὴ δείματος γ' ἔχει μέρος.

L. γ', L^c Γ A τ'. γ' autem metri causa additum esse videtur, postquam vera lectio δειμάτων (quod coniecit

Hartung) abiit in δείματος. Saepissime numerum pluralem et singularem a magistellis confundi vix est monendum.

Ad vs. 317:

ἔνθα μὴ τέλη
λύῃ Φρονοῦντι· ταῦτα γὰρ καλῶς ἐγώ κτἑ.

Pro corrupto γάρ supra conieci πέρ. Vid. tabell.

Ad vs. 360:

* οὐχὶ ξυνῆκας πρόσθεν; ἢ ἐκπειρᾷ λέγειν;

L A ἐκπειρᾷ, Γ ἢ γρ. ἦν πειρᾷ, L [Γ] A λέγειν, L^a ὁλέγειν. De corrupto vocabulo supra fusius egi.

Ad vs. 403:

εἰ δὲ μὴ ἐδόκεις γέρων
εἶναι, παθὼν ἔγνως ἂν οἷά περ Φρονεῖς.

Pro corruptis vocabulis restituendum conieci οἵ' ὑπερΦρονεῖς. Vid. tab.

Ad vs. 404–407:

* ἡμῖν μὲν εἰκάζουσι καὶ τὰ τοῦδ' ἔπη
405 ὀργῇ λελέχθαι καὶ τὰ σ', Οἰδίπους δοκεῖ.
δεῖ δ'οὐ τοιούτων, ἀλλ' ὅπως τὰ τοῦ θεοῦ
μαντεῖ' ἄριστα λύσομεν, τόδε Φρονεῖν.

R. Enger probabili coniectura hos versus transposuit post vs. 428, quam transpositionem egregie explicavit

v. Leeuwen pg. 147. Omittebat enim magistellus vs. 408—428 (paginae dimidium), postquam autem post vs. 403 scripsit 404—407, vitium animadvertit. Magis vero membranarum elegantiam, quam textus integritatem curans post vs. 407 addidit 408—428.

Ad vs. 445:

κομιζέτω δῆθ' · ὡς παρὼν σύ γ' ἐμποδὼν
ὀχλεῖς συθείς τ'ἂν οὐκ ἂν ἀλγύνοις πλέον.

A Γ σύ γ', L . . . γ', L^{r} γρ. σύγε, σ τά γ' et σύγ'.

Iure Meineke pro πλέον restituit πέρα.

Schneidewin autem verba ἐμποδὼν ὀχλεῖς explicat „turbas ut sis impedimento quominus dei iussa exsequar." Schmidt (pg. 363) proposuit ὡς παρὼν σύ γ' ἐγγελῶν / ὀχλεῖς, sed verbo ἐγγελᾶν hic locus non est. Minus etiam placet, quod coniecit idem:

ὡς παρών με δυστομῶν
ὀχλεῖς, συθεὶς δέ μ'οὐκ ἂν ἀλγύνοις λέγων, coll. O. R. 986.

Contra valde mihi arridet emendatio, quam proposuit v. Herwerden κομιζέτω δῆτ' ἐκποδών· σὺ γὰρ παρὼν ὀχλεῖς κτἑ. Vix enim dubito, quin hunc locum spectaverit Demosthenes (XIX — 181) νῦν δ'ὅτι ἂν μὴ καθ' ἡμέραν ὑμᾶς ἐνοχλῇ καὶ παρὸν λυπῇ, παροράτε κτἑ ὀχλεῖν autem idem esse atque λυπεῖν ostendit v. c. Hesychius ὀχλεῖ· λυπεῖ. Notandum praeterea est L. ut dixi, habere . . . γ' et, teste quidem Schmidtio, super litteram μ vocabuli

ἐμποδών litteram ν, quae facile cum κ confundi potest. (cf. Bast pg. 726). Vid. tabell.

Ad vs. 491:

ἔμαθον, πρὸς ὅτου δὴ βασάνῳ . . . .

Lacuna, variis modis a viris doctis suppleta. Vid. tab.

Ad vs. 579:

* ἄρχεις δ' ἐκείνῃ ταὐτὰ γῆς ἴσον νέμων.

Versus in margine additus; de loci corrupti emendatione iam egi.

Ad vs. 580:

ἂν ᾖ θέλουτα πάντ' ἐμοῦ κομίζεται.

In fronte ordinis olim legebatur hic versus. Miror nondum ab omnibus receptam esse egregiam Hartungii coniecturam, ex constanti loquendi usu summo iure rescribentis θελούσῃ pro corrupto θέλουσα. Cf. v. Herwerden ad hunc locum.

Vs. 598 supra in suspicionem vocavi, et ante me Wecklein.

Ad vss. 601—602:

ἀλλ' οὔτ' ἐραστὴς τῆσδε τῆς γνώμης ἔφυν,

* οὔτ' ἂν μετ' ἄλλου δρῶντος ἂν τλαίην ποτέ.

Versus corrupti. [Γ] A L^{r} μετ' ἄλλου, L. μεγάλου. For-

tasse ex Heimsoethii egregia coniectura, de qua supra egi, legendum est ἀλλ' οὔτε λῃστὴς τῆσδε σῆς ἀρχῆς ἔφυν / οὔτ' ἂν μετ' ἄλλου δρᾶν τόδ' ἂν τλαίην ποτέ.

Ad vss. 623—625:

Oed. ἥκιστα· θνήσκειν, οὐ φυγεῖν σε βούλομαι

Cr. * ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.

Oed. ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδὲ πιστεύσων λέγεις;

De vocabulo ἥκιστα iam dixi. Versus sequentes quin graviter corrupti sint vix dubito; frustra tamen emendare eos conatus sum: videant peritiores.

Ad vs. 800:

* καὶ σοί, γύναι, ταὐληθὲς ἐξερῶ. τριπλῆς κτέ.

Legitur hic versus in margine a manu recentissima. Miram pulchritudinem aesthetici nonnulli (e. g. Bruhn, Schütz pg. 103, Wecklein, Lipsius) in his verbis detexerunt; mihi tamen persuadere non potuerunt. Versus ineptus, ex glossemate τριπλῆς natus, cum plerisque editoribus delendus erit. v. Leeuwen observat inter vs. 579 et 800 intercedere 220 versus, sive quinque paginas (5 × 2 × 22 = 220).

Ad vs. 1081:

1080 ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς Τύχης νέμων
τῆς εὖ διδούσης, οὐκ ἀτιμασθήσομαι.
τῆς γὰρ πέφυκα μητρός·

Verba τῆς - ἀτιμασθήσομαι valde mihi suspecta sunt. Τύχη enim, nullo addito ephitheto, saepe significat „bona Fortuna", cf. Phil. 775, Aeschyl. Choeph. 138; inversa ratione „infausta Fortuna" significat O. R. 257. Apud Horatium legimus „Fortunae filius" significatione „gelukskind." Ex quibus exemplis apparet τῆς εὖ διδούσης fortasse additum esse a magistello, qui τῆς Τύχης explicare voluit. Vocabula οὐκ ἀτιμασθήσομαι, quid sibi velint, non assequor. In nostro contextu fort. vertenda essent „ik zal niet bedrogen uitkomen", quam tamen significationem equidem verbo ἀτιμάζομαι tribuere non aussim.

Sed accedit aliud argumentum. Legitur vs. 1080 apud Plut. de Roman. fortuna pg. 318 c: ἄντικρυς οὗτος (Sulla) τῇ τύχῃ μετὰ τῶν πράξεων ἑαυτὸν εἰσεποίει, βοῶν κατὰ τὸν Οἰδίποδα τὸν Σοφοκλέους· ἐγὼ δ'ἐμαυτὸν παῖδα τῆς Τύχης νέμω. Itaque Plutarchus vs. 1081 non legisse videtur. Quam ob rem nescio an hi versus sic sint restituendi:

ἐγὼ δ'ἐμαυτὸν παῖδα τῆς Τύχης νέμω·
[τῆς εὖ διδούσης, οὐκ ἀτιμασθήσομαι]
τῆς γὰρ πέφυκα μητρός

Ad vs. 1105:

* ἀνάσσων,
εἴθ' ὁ Βακχεῖος θεός.

Haec verba omittit L, addunt L^a Γ A. In versu autem 1130 τόνδ'. ὃς πάρεστιν· ἢ ξυγκλλάξας ποτέ; [Γ] habet ξυγκλλάξας,

L. συναλλάξας, A. συνήλαξας. Pro ποτέ, quod coniecit Tournier, legebatur τί πω eraso πού; vel ποτε. Observat v. Leeuwen inter 1105 et 1130 re vera intercedere 22 versus, si modo e versibus 1106—1109 cum Dindorfio duos constituamus versus.

Ad vs. 1305:

ἀλλ' οὐδ' ἐσιδεῖν δύναμαί σε θέλων
πόλλ' ἀνερέσθαι, πολλὰ πυθέσθαι, πολλὰ δ'ἀθρῆσαι.

Nauck et Bruhn expungunt πόλλ' – ἀθρῆσαι.

Sufficit fortasse cum Heimsoethio (K. S. 227) condemnare verba πολλὰ δ'ἀθρῆσαι, cf. O. C. 511, ubi chorus, quamquam Oedipi miseriis permotus, haec habet:

δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον [ἤδη κακόν] ὦ ξεῖν', ἐπεγείρειν
ὅμως δ' ἔραμαι πυθέσθαι . . . .

Ad vss 1411—1412:

ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ' ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν,
1410 ὅπως τάχιστα πρὸς θεῶν ἔξω μέ που (ποι? γῆς?)
καλύψατ' ἢ φονεύσατ', ἢ θαλάσσιον
ἐκρίψατ', ἔνθα μήποτ' εἰσόψεσθ' ἔτι.

καλύψατ' et ἐκρίψατ' sedes mutavisse egregie perspexit Burges, probatus a Nauckio.

Meineke (An. Soph. pg. 243) totum versum 1411 expunxit. Male; optime enim Oedipus orare potest, ut in mare abiciatur, quamvis sit „homo mediterraneus." Qui talia in suspicionem vocat, obliviscitur Athenis hanc

fabulam in scenam actam esse, Athenienses fuisse spectatores, saepissime autem vel optimum poetam minus apta inseruisse, suarum rerum temporumque cogitatione abductum.

THESES.

I.

Sophocles' Oedipus Rex is een „noodlotstragedie."

II.

Thuc. I—6, 3.
Verba τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν delenda sunt.

III.

Eur. Hel. 1594.
πάλιν πλέωμεν † ναξίαν †, κέλευε σύ, κτἑ.
Pro ναξίαν legendum ῥαχίαν.

IV.

Soph. El. 1152.
Restitue τέθνηκ' ἐγὼ 'ν σοι·

V.

Phil. 182.

πάντων ἄμμορος ἐν βίῳ

Pro verbis corruptis EN BIΩI Sophocles dedit OΛBIΩN.

VI.

Trach. 935.

ἀκούσα πρὸς τοῦ θηρὸς ἕρξειεν τάδε.

ἀκοῦσα corruptum ex ἀλοῦσα.

VII.

Ant. 504.

Lectio „ἀνδάνει", quae in optimo codice Laurentiano exstat, omnino est retinenda.

VIII.

Tac. Ann. XVI—19.

Legendum: audieba*n*tque referente*m*.

IX.

Tac. Dial. de Or. IX.

Pro praecepta propono praecerpta.

X.

Tac. Hist. I—3.

Legendum: supremae clarorum virorum necessitates (in) ipsa n e c e fortiter toleratae, cett.

XI.

Iuven. I—157.

Lege: a u t latum media sulcum deducis harena.

XII.

Iuven. VIII—27.

Restituendum: quocumque a l t o de sanguine, cett.

XIII.

Het verhaal, dat Iophon den ouden Sophocles zou hebben aangeklaagd, is een verzinsel der c o m e d i e.

XIV.

Ten onrechte beweert Beloch (Gr. Gesch. I—575): Seine (d. i. Sophocles') Personen sind keine Heroen mehr, es sind Menschen; aber nach des Dichters eigenem Ausspruche nicht Menschen, wie sie sind, sondern wie sie sein sollen, v o l l e n d e t e T u g e n d s p i e g e l o d e r v o l l e n d e t e B ö s e w i c h t e r, soweit nicht der überlieferte Mythos dem Dichter die Hände band.

XV.

Cleon's houding in de quaestie van Mytilene was — van Atheensch standpunt beschouwd — onberispelijk.

XVI.

Zonder grond beweerde A. Pierson, (Verslagen en Mededeelingen der Koninklijke Akademie Afd. Letterk. derde Reeks, negende deel, eerste stuk) dat Plato in zijn Phaedo gezondigd heeft tegen „de wet van de klimax."

XVII.

De facultatiefstelling van het Grieksch op de gymnasia zou de verderfelijkste gevolgen na zich sleepen.